CIMELIA
Qu 4479
kat.komp

1883. F.S.p.d.

Klasycy No 221

Cim II A 22/a



XIV. K. 26

XX. 55

Patricius in Oratione Ciceronis

Cim. Qu. 4479

ANDR.

PATRICII

NIDECICI

NOTAE

In duas M. Tullii Ciceronis orationes.

Ad PE. Miscouium Episc. Cracouien.

LECTORI. S.

Nostras perlege, quæso, Tullianas,
Lector chare, notas nec inuenustas.
Viginti tibi displicere possunt,
Triginta tibi displicere possunt.
Quòd si omnes tibi fortè displicebunt,
Nobis tu quoque & ipse displicebis.

CRACOVIAE.

In Officina Lazari. Anno M. D. LXXXIII.

PE. VOLSCIO DUNINO
EPISC. PLOCEN.
PRINC. BENIGNISS.
Auctor.

IN ORATIONES

I. Pro C. Rabirio Postumo.

II. Pro M. Marcello.

AMPLISS. VIRO

PE. MISCOVIO MIROVO

EPISC. CRACOVIEN.

Seuerien.q. Duci,

ANDR. PATRICIVS NIDECICVS

Præp. Varſouien. S. P. D.

INFRA TVAM Pe. Miſcoui, Pontificiam dignitatem fateor hæc eſſe; ſed eadem tamẽ deberi tibi, certò ſcio. Primùm enim nata ſunt, magna ex parte, quaſi domi tuæ, ex homine tibi dignitatiq. tuæ addictiſsimo; vt iam quaſi vernæ quidam tui facti eſſe videantur. Deinde verò, vti ea ſcholaſtica ſunt, ita ad te præcipuè, qui præcipuum, in ſchola Cracouien. Cancellarii munus more maiorũ adminiſtras, mitti oportere exiſtimaui. Tum autem, ſi iudiciũ de iis cuiuſquam erat mihi exquirendum, ſanè, quem tibi vni in hoc genere præferrem, nõ habui: qui olim totum Ciceronis μυροθήκιον, & omnes denique Bonamici arculas, ſedulò excuſsiſti. Ante XX. & amplius annos, elaborata ſunt hæc nobis: cùm ſcilicet, in

ſummo illo vtriuſq. noſtrum, ad aulam Sigism. Augusti Regis, ocio, & ſummo, vt tunc erant tempora, Philip. Padneuii anteceſſoris tui negocio, iucundè vnà viuebamus, in amore, quod ſcis, mutuo, & ſtudiis litteriſque communibus noſtris. Quæ ipſa poſteaquàm ad maturitatem iam quandam adduci penè viderentur, ecce tibi derepente, tuus ille regni Procancellariatus, in te ſecundum Padneuium, magna omnium bonorum lætitia collatus, quaſi ſubitaneus torrẽs quidam, vtrumque noſtrum neſcio quomodo corripuit, & per aliquot annos in mediũ pelagus illud negociorum publicorum, vnà coniecit: vbi ſtudia hæc noſtra ſilere omninò neceſſe fuit, in turba illa interpellatorum. Ex quo tamen naufragio (ſic enim dicendũ eſt) tu quidem iamdudum, cum ſumma tua dignitate enataſti, Plocenſis primùm, deinde verò Cracouienſis Antiſtes factus, & ad maximas duarum deinceps maximarum eccleſiarum functiones gerendas conſtitutus; ego porrò ſic in medio planè mari illo relictus ac deſtitutus, vt primùm modò tranquilliori aliquanto tempeſtate nauigare incepiſſem, retuli me confeſtim ad eadem illa ſtudia, quæ à me, dum tibi in tuo Procancellariatu morẽ gero, nõ tam intermiſſa, quàm in perpetuum iam quaſi abdicata videbantur; omnia videlicet ſubſeciuis horis diligentius recognoſcens, quæ ex illo iam tempore, cùm in cæterorum ſcriptorum antiquorum obſcuriores locos, tum præſertim in omnes ex ordine, & Ciceronis ipſius, & Liuii, & Terentii, & Cæſaris libros, ſtudioſè notata habeo. E quibus ipſis, has ipſas, in duas iſtas M. Tullii orationes, depromptas notas mittere ad te hoc tempore decreui: & quidem ſic vt erant depromptas, cum aliorum

liorum modò quorundam ſcriptis, qui interea in hoc genere eodẽ elaborauiſſent, obiter collatas, & ſi quid, auctas etiam fortaſsis nonnihil ac perpolitas. Ad pleniſsimam, quæ à me expectari potuit, tam huius partis, quàm totius reliqui corporis perfectionem, manuſcriptos mihi codices veteres neceſſarios planè fuiſſe confiteor. Sed neque conquirendorum eorum ſtudium, voluntatis profectò meæ fuit, in hac præſertim earum mercium inopia apud nos mera; neque etiam conferendorum labor, aut ætatis certè huius fuiſſet, aut ocii mei; quod vtrumque in ſeuerioribus iam, & nomine profeſsioneque mea dignioribus ſtudiis, neceſſariò mihi ponendum eſſe intelligo. Poterunt alii ab eiuſmodi præſidiis inſtructiores, & quibus integrior adeſt ſanguis æui, coniecturas has noſtras, ex ſolo ingenio, & induſtria noſtra profectas, vel cum ſæpe fortuitis illis antiquorum librariorũ lapſibus, vel cum non doctiſsimis interdum eorum opinionibus conferre, quoad libeat: aut deniq; ad certiſsima eorundem atque veriſsima præſcripta caſtigare, cum bona non tantùm venia, ſed etiam gratia noſtra. Ego, qui me his deſtitutum fuiſse profiteor, ſi quid fortè impegi vſpiam, vel potius quando impegiſſe me pleriſque in locis ſentio, veniam ſanè hoc ipſo aut impetrabo, aut merebor certè quidem: ſin minus, quod tamen optare vix poſſum, ſperare ne vix quidem, tum verò laudem etiam propterea aliquam inueniam, quòd, dum ſine cortice, vt dicitur, narem, & ſine remis ac velis æquor eiuſmodi ſulcarem, quod ferè non aliter, quàm huius generis velis ac remis, rectè ſulcari poſſe exiſtimatur, aliquid promouere tamen potuerim; ſi modò potuerim, in rebus iſtis magna ex parte deſperatis.

Quærat quispiam, quo fretus potissimùm, ad hoc tam periculosæ nauigationis genus, sine necessarii apparatu præsidii descenderim. Primùm, intra domesticas & perangustas ripas, periculi nihil esse prouidebam; (mihi enim ipsi hæc tantũ ab initio priuatim elaborabantur) Deinde, si quid etiam esset, quod in ipsis illis contractis ripis, periculum fortè minari vllum videretur, eum tamen, qui neque aduerso flumine contenderet, neque diis hominibusue inuitis, cursum, quem proposuisset, temere vrgere conaretur, extra maioris cuiuslibet periculi aleam, positum esse facile iudicabam. Nihil enim vnquam in his meis opinionibus, aut contentiosius defendebam, aut saltem asseuerantius affirmabam; nudas esse semper coniecturas volebam; quas qui nollet, non sequeretur; qui vellet, non cogeretur; qui negligeret, non reprehenderetur. Et omninò ludum hæc planè esse ducebam ingenii, vel ætate, vel studio lasciuientis, &, vt dicam prorsus quod sentio, sæpe etiam de bonis, mala de industria facientis, vt esset, quod nos legendis ac relegendis Ciceronis, nunquam conquiescere pateretur. Nunc monentibus dudum amicis, parendum iam ex parte fuit; & aliquis saltem eorum librorũ, cuiusmodi essent, domo fuit extrudendus, ac publicè, ad exploranda omnium iudicia proponendus. Quod quidem ita fecimus cautè tamen, vt multo maior (nam melior, non audeo dicere) eorum pars, quæ emittuntur, domi adhuc nostræ remaneret; pauxillum hoc interim, in tuo clarissimo nomine appareret, quod ab omnibus, qui vellent, cognosceretur, à te, quatenus opus sit, defenderetur. Bene vale. Cracouiæ Idib. Augusti.

Auctor

Auctor Lectori.



Otas istas nostras, ad illam operum Ciceronis, à Carolo Stephano, circiter annos domini M. D. LIV. & M. D. LV. publicatam editionem, accommodauimus: quod tunc temporis non aliam ferè emendatiorem, non speciosiorem certè quidem editionem fuisse videbamus. Quam ipsam, hac etiam editione ipsa nostra exprimendã esse existimauimus: vt vna eademq; opera, & tibi consuleremus, lector, & nobis. Tibi, ne semper necesse habeas libros Orationum ipsarum quærere, quos interdum ad manum habere non possis: eius præsertim, quam indicauimus, Stephaneæ editionis. Nobis autem, ne fortè identidem accuses nos aut reprehendas, si, quod nos in notis nostris emendamus, id tu in aliorum editionibus, vel emendatum iam, vel certè aliqua alia ratione immutatum inuenias: quod contrà non emendamus, tu ex aliorum librorum lectione, summa querare eguisse emendatione. Vale.

Cic. de

CIC. LIB. II. DE DIVINAT.

Bene qui coniecerit, vatem hunc perhibeto optimum.

PATRICII NIDECICI
IN ORATIONEM M. TVLLII CICERONIS PRO C. RABIRIO POSTVMO
Notæ.

ORATIO.



I QVIS EST IVDICES, qui C. Rabirium, quòd suæ fortunæ fundatas præsertim atque optimè constitutas opes potestati regiæ libidiníque commiserit, reprehendendum putet, ascribat ad iudicium suum non modò meam, sed huius etiam ipsius, qui commisit, sententiam. Neque enim cuiquam eius consilium vehementius, quàm ipsi displicet. Quanquam hoc plerumque facimus, vt consilia euentis pōderemus: &, cui benè quid processerit, multum illum prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. Si extitisset in Rege fides, nihil sapiētius Posthumo: quia fefellit Rex, I. CICERO.

nihil hoc amentius dicitur: vt iam nihil eſſe videatur, niſi diuinare ſapientis. Sed tamen ſi quis eſt Iudices, qui illam Poſthumi ſiue inanem ſpem, ſiue inconſultam rationem, ſiue (vt grauiſſimo verbo vtar) temeritatẽ vituperandam putet, ego eius opinioni nõ repugno: illud tamen deprecor, vt, cùm ab ipſa fortuna crudeliſſimè videat huius conſilia eſſe multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppreſſus eſt, addendum acerbitatis putet. Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere: vrgere verò iacentes, aut præcipitanteis impellere, certè eſt inhumanum: præſertim Iudices cùm ſit hoc generi hominum propè natura datum, vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè, qui ſunt eius ſtirpis, quòd ſermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. Si quidem non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in deuotione vitæ, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius.

NOTAE.

PATRIC. SVAE FORTVNAE FVNDATAS PRAESERTIM ATQVE OPTIME CONSTITVTAS OPES, POTESTATI REGIAE LIBIDINIQ. COMMISERIT) Etſi hoc libro inſtituti mei non eſt, quæ cuique verborum compræhenſioni ſubiecta ſententia ſit, eam ſtudioſè admodum inueſtigare

ueſtigare: multò autem minus, ea de induſtria perſequi, quæ ad ornatum vllum artificiumúe orationis videantur attinere: tamen interdum etiam, ſi quid eiuſmodi obiter in mentem venit mihi, in his præſertim locis, qui maiorem aliquam obſcuritatē præſeferre, quiúe lumen aliquod interpretationis deſiderare viderentur, prætermittere ſanè nolui, quin huic ipſi chartæ vtcumque illinerem. Ratus, id quod in hoc genere ex ſimplici & aperto meo ingenio proficiſceretur, nō ingratum optimis ingeniis futurum. Ergo hoc quoque ipſo in loco aliquid eiusmodi dicamus, & oratorem ipſum in iis quæ dicit, optimè reddere alterum alteri, oſtendamus. Nam & ſuas profectò opes cōmittere alteri, regi autem præſertim (quorum innata ſuperbia atque potentia, certam rerum noſtrarū poſſeſsionem conturbat ſœpe & euertit) & item, bene fundatas atq; conſtitutas opes, cōmittere non tam poteſtati quàm libidini: cùm hæc ita dicuntur, certè & ornatiſsimè, & ad denotandam eius qui id faciat hominis, non ſatis cautam in rebus ſuis adminiſtrandis prudentiam, ſignificantiſsimè dicuntur. Cuius quidem generis locutiones, nobis ornamenta orationis inueſtigantibus, & preſsè ac ſignificanter loqui cupientibus, meritò ſunt obſeruandæ. Ac tale quidem propemodum eſt illud quoq; infrà n° 16. Temere hunc pecuniam regi credidiſſe, ſuas fortunas atque famam libidini regiæ commiſiſſe. Propemodū, tamen dixi. Neque enim illud quidquid eſt, planè adæquat noſtrorum iſtorum, quæ præ manibus habemus, verborum ſtructuram ac compoſitionem admodum exquiſitam & inſignem.

QVI COMMISIT, SENTENTIAM) Hec duo verba, QVI COMMISIT, gloſſema eſſe deputem, additum ad illud, HVIVS IPSIVS. Quo ſignificabatur Rabirius ipſe. Quod ſi quis tamen ea verba retineat, exponet. QVI COMMISIT, regiæ Poteſtati ſcilicet opes ſuas. Sed ego tamen abeſſe malim.

QVANQVAM HOC PLERVMQVE FACIMVS) Aliquid eſt quod deſiderē. Rem enim ipſam ſatis intelligo, connexionem ſententiæ nō ſatis, Ex quo fit, vt totum hoc, vſq. ad, SED TAMEN, parentheſi includendum eſſe exiſtimem, & in reliquo legam ſic. QVANQVAM NOS PLERVMQVE FACIMVS &c. NOS, videlicet, pro, HOC. Nam &, n, ab, h, noſtris etiam temporibus parum differt, & olim cùm ſerpentina littera ſcribenda eſſet, tertiæ ferè nota litteræ ſcribebatur, Hodie, NOS

olim, N O C. Vt totius istius parentheseos ea sit sententia. Nos quidem in iudicandis factis aliorum, nullam certam rationem sequimur, sed omnium ferè hominum consilia euentis ipsis ponderamus, hic autem ipse Rabirius constantissimè & apertissimè factũ simul & consiliũ suum reprehendit, quòd certissimas fortunas suas libidini commiserit alienæ. Ita, vt etiamsi euentus non optimi consilii optimus fuisset consecutus, ille tamen consilium illud non reprehendere non posit.

NIHIL SAPIENTIVS POSTHVMO) Supple. Fuisse diceremus. Et quidem, fuisse. Vt conueniat cum eo, quod præcessit. Si extitisset in rege fides.

QVIA FEFELLIT REX) Notanda significatio verbi, fallo.

SED TAMEN SI QVIS EST) Hoc, SED TAMEN, non est aut aduersatiuum, aut etiam correctiuum cuiusquam eorum, quæ præcesserunt: non, ne illius quidem. QVANQVAM NOS PLERVMQVE FACIMVS. Sed quid est? Est illud, quod solet noster, quod solent alii, post lõgam aliquam circumductionem adhibere, cum ostendunt, ad illud se redire, quod instituerant. Hoc enim loco redit ad illud initium orationis. SI QVIS EST IVDICES QVI C. RABIRIVM &c. Notanda autem est hic quoq; variatio sententiæ illius superioris.

PRAESERTIM IVDICES, CVM SIT HOC) Hoc, inquit, minus debet quisque iacentem vrgere Rabirium, quòd omnes ferè, in eodem delicti genere, sæpissimè labamur, dum parentes maioresq; nostros, in iis, quæ cum laude gesserunt, etiam cum incommodo rerum nostrarum, studemus imitari.

QVOD SERMO HOMINVM AD MEMORIAM PATRVM VIRTVTE CELEBRETVR) Videndum. Ego, si quâ licitum esset, sic ferè legerem. QVOS SERMO HOMINVM AD MEMORIAM PATRVM VIRtutę COHORTATVR. Exigua admodum litterarum immutatione. Fac enim ex CELEBRETVR, COHORTETVR, vel potius, COHORTATVR, tam numero syllabarum quàm ductibus ipsis litterarum non admodum repugnantibus, reliqua expeditissima sunt. Nam & QVOS, pro, QVOD: & VIRtutę (quod est, virtutis) pro, VIRtute, nulla admodum magna scripturæ variatione scribũtur. COHORTATVR, autem planè ma-

nè malo quàm (quod tamen ipsum illi, CELEBRETVR, similius sit) COHORTETVR: quia nimirum præcessit, SVNT, non, SINT, indicandi non iungendi modo. Nisi fortè ibi quoq; sic legas. QVI EIVS STIRPIS SINT. Quod non æque adlubescit. Illud non inuitus concessero, vt pro, COHORTATVR, aliud ferè verbum inquiratur, quod illi ipsi, CELEBRETVR quàm simillimum esse videatur. Quicquid est, id totum certè illi quadam ex parte simile est, quod sequitur paulò inferius. ASSIDVIS DOMESTICORVM SERMONIBVS, IN PATERNÆ CVLPÆ SIMILITVDINEM DEDVCTVS EST. Lambinus, cuius ego adnotationes multò pòst vidi, quàm has meas notas confecissem, legit. Quòd sermone hominum ad memoriam prodendam patrum virtus celebretur. Manutius, qui eo etiam posterior est, nihil mutat, sed exponit tantum. Quòd sermo hominum celebretur. Id est, creberrimus sit ex patrum virtute, ad memoriam eius laudis propagandam. Quorum vtrumque planè videndum esse dixerim. Nam quod ad Manutii expositionem attinet, faciamus sic loqui Ciceronem, vt vult Manutius. Quòd sermo hominum ad memoriam eius laudis propagandam, ex patrum virtute creberrimus sit, videbimus, quot & quantis res ipsa incommodis obnoxia sit. Lambini autem emẽdatio quoque ipsa, cui Manutiana, vt videtur, interpretatio nonnulla ex parte innititur, remotior est à vulgata scriptura, emendatione nostra. Vtrumque id igitur videndum. Vel potius omnia videnda. Nam & meum, quod in medium attuli, etiam atque etiam videndum esse censeo.

ORATIO.

Sint igitur similia Iudices parua magnis. Fuit enim pueris nobis huius pater C. Curius, princeps ordinis Equestris, fortißimus & maximus publicanus: cuius in negotiis gerendis magnitudinem animi nõ tam homines probaßent, nisi in eodem be- II. CICERO.

 nignitas

nignitas incredibilis fuiſſet, vt in augenda re non auaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur. Hoc ille natus, quanuis patrem ſuum nunquam viderat, tamen & natura ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus in paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt. Multa geſſit: multa contraxit: magnas parteis habuit publicanorum: credidit populis: in pluribus prouinciis eius verſata res eſt: dedit ſe etiam Regibus: huic ipſi Alexandrino grandem iam antea pecuniam credidit, nec interea locupletare amicos vnquam ſuos deſtitit, mittere in negociũ, dare parteis, augere, fide ſuſtentare. Quid multa? cùm magnitudine animi, tum liberalitate vitam patris & conſuetudinem expreſſerat.

NOTAE.

PATRIC. HVIVS PATER C. CVRIVS) Pater, natura ſcilicet, cùm adoptione patrem haberet Rabirium. CVRTIVS pro, CVRIVS, Turnebus putat legendum. Vide lib. 10. cap. 23. aduerſariorum. Vbi pleraque alia ex hac oratione vel emendantur vel explicantur.

PRINCEPS ORDINIS EQVESTRIS, FORTISSIMVS ET MAXIMVS PVBLICANVS) FORTISSIMVS, vtrum princeps, an publicanus.

QVAMVIS PATREM SVVM NVNQVAM VIDERAT) Modò dixit. HOC ILLE NATVS. Quorſum igitur attinebat nunc, patrem nominare? Nonne ſuffecerat ſic?

QVAM-

QVAMVIS EVM NVNQVAM VIDERAT. Et certè ita credo. Nam illud, PATREM SVVM, glossema esse dixerim τȣ EVM. Neq; etiam existimandum est, alterum de eo, qui natura pater esset, accipiendum esse: alterum de eo qui esset adoptione, cum manifestò vtrumque, de eo qui natura pater esset, intelligendum sit.

IN PATERNÆ CVLPÆ SIMILITVDINEM) Culpam, non tam appellat ex sua, quàm ex eorum sententia, qui factum Rabirii reprehendendum, vt dixit prius, vituperandum, vt paulò pòst, existimabant. Vide notas nostras in illud pro Ligario n° 1. PRIVS DE VESTRO DELICTO CONFITEAMINI NECESSE EST, QVAM LIGARII CVLPAM REPREHENDATIS. Hoc autem loco, in verbo, PATERNÆ, aperta inest eiusdem culpæ defensio. Peccauit, inquit, noster Rabirius, sed patrem est in suo peccato imitatus. Ergo. Deductus est in similitudinem culpæ paternæ: si culpa scilicet ea dicenda est, patrem in liberalitate imitari. Manutius, pro, CVLPÆ legit, CVRÆ. In laude enim scilicet versari oratorem scribit, nec potuisse tam repente in vituperationem desilire. Ego sententiam meam non muto.

MVLTA GESSIT, MVLTA CONTRAXIT, MAGNAS PARTES HABVIT PVBLICANORVM, CREDIDIT POPVLIS, IN PLVRIBVS PROVINCIIS EIVS VERSATA RES EST) Exponerem ferè MAGNAS PARTES pro eo quod vulgo dicimus, wielkie correspondencie. Et tamen sic quoque in hac ipsa periodo, nonnulla videnda esse putem. Quale est illud primùm, MVLTA CONTRAXIT, deinde illud quoq;, CREDIDIT POPVLIS. Iamverò & in illis quoq; membris insequentibus, eodẽ penè modo faciendũ esse existimem. MITTERE IN NEGOCIVM, DARE PARTES, AVGERE, FIDE SVSTENTARE. Amicus meus, quo nullum habeo cariorem, sic propemodum illa interpretatur. MITTERE IN NEGOCIVM Posyłáć Agenti. DARE PARTES, stánowić correspondenti. AVGERE FIDEM, czynić im credit co dáley to wietszy. SVSTENTARE, Trzymáć im grzbiet áby nievczynili bánkerotu.

IAM ANTEA PECVNIAM CREDIDIT) Infra n° 3. Huic

3. Huic regi, inquit, pecuniam credidit; nec tum primum. Nam regnanti crediderat.

ORATIO.

III. CICERO. *PVlsus interea regno Ptolomæus dolosis consiliis (vt dixit Sibylla, sensit Posthumus) Romam venit. Huic egenti & roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primùm: nam regnanti crediderat absens: nec temere se credere putabat, quòd erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur à Senatu populóque R. In dando autem & credendo processit longius: nec suam solùm pecuniam credidit, sed etiam amicorum: stultè: quis negat? aut quis iam non admonet? quod malè cecidit? bene consultum putares. Id est difficile, quod cùm spe magna sis ingressus, id non exequi vsque ad extremũ. Supplex erat Rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: vt iam metuere Posthumus cogeretur, ne, quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modũ. Nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: vt magis pœniteret cœpisse, quàm liceret desistere.*

NOTAE.

PATRIC. DOLOSIS CONSILIIS, VT DIXIT SIBYLLA, SENSIT POSTHVMVS) Ludit, vt arbitror, in abutenda Sibyllæ

Sibyllæ auctoritate. Nam cùm Sibylla, dolosis consiliis pulsum iri Ægypti regem prædiceret, consilia autem illa, non regi ipsi, sed subditis eius ascriberet, hic noster, argutè ea à subditis ad regem ipsum transfert, atque adeò illud, DOLOSIS CONSILIIS, non tam ad expulsionem eius ex regno, quàm ad eius Romam aduentũ, refert. Atque hoc dicit, Ptolomæum pulsum regno, venisse dolosis consiliis Romam, vt quidem, inquit, & Sibylla verbis dudum prædixit, & reipsa Rabirius modò est expertus, cùm à rege ipso, argento emungeretur.

NAM REGNANTI CREDIDERAT) Planius. NAM ET REGNANTI. Vel. NAM REGNANTI QVOQ.

ERAT NEMINI DVBIVM, QVIN IS IN REGNVM RESTITVERETVR) Illud modò in disceptatione erat, cum exercitúne, an sine eo, restitui deberet.

A SENATV POPVLOQ. ROM.) Vultis dicam ex animo quod sentio. Non existimo hoc esse Ciceronis.

IN DANDO AVTEM ET CREDENDO PROCESSIT LONGIVS) Mallem. IN DANDO TAMEN. Quasi si diceret. Dedit quidem ab initio pecuniã non temere, illud tamen propemodum temere, quòd in dando & credendo modum non poneret. Est autem, CREDENDI, verbum in dando mutuo, solenne & vsitatum.

NEC SVAM SOLVM) Fortè. NEC. N. SVAM SOLVM. Hoc est. NEC ENIM SVAM SOLVM.

QVIS IAM NON ADMONET? QVOD MALE CECIDIT? BENE CONSVLTVM PVTARES. ID EST DIFFICILE) Aliquid mendi. Nunc omnia, quantum satis sit, dispicere nequeo. Legerem tamen sic propemodũ. QVIS IAM NON ADMONET, QVOD MALE CECIDIT? PENE CONSVLTVM PVTARES. Sensus. Quis iam nunc non admonet eius, quod malè cecidit? Quasi dicat. Omnes admonẽt. (Omnes enim, dixit superius, plerumq. facimus, vt consilia euentis ponderemus) Atque id illi quidem, perinde, inquit, propemodum faciunt, ac si etiam ante factum, & re integra, consilium suum Rabirio impertiuissent. Hoc est enim, PENE CONSVLTVM PVTARES. In reliquo, pro, ID EST, legerem ferè, SED EST, accommodata ad principium dictionis littera, S, ex fine dictionis præcedentis, Alioqui hoc, ID, sequi-

tur mox alterum, I D. Sic enim vulgo legitur. I D E S T D I F F I C I L E, Q V O D C V M S P E M A G N A S I S I N G R E S S V S, I D N O N E X E Q V I V S Q V E A D E X T R E M V M. Est autem hæc sententia, vt opinor. Stultè quidem fecit Rabirius, quòd in dando processerit longius: sed est difficile, modum in eo tenere, quominus id quod inceperis, ad exitum deducas, præsertim, quod inceperis cum spe magnæ alicuius vtilitatis. Atque hoc quidem, quod de, S E D, dico, facilius quisque arripuerit, si, P V T A R E, pro, P V T A R E S, legi posse viderit. Ad quam quidem lectionem conformandam, videndum etiam esse putem, an totum legi ad eum modum possit. Q V I S N E G A T? A V T Q V I S I A M N O N A D M O N E T, Q V O D M A L E C E C I D I T, I D N O N B E N E C O N S V L T V M P V T A R E? Vt scilicet τὸ, I A M, loco suo moueatur, & in, N O N, transformatum, ad τὸ, B E N E, adiungatur, atque etiam τὸ, C E C I D I T, sic scribatur. cecidI T, & totum legatur sic, Q V O D M A L E C E C I D I T, I D N O N B E N E C O N S V L T V M P V T A R E? vel, I D B E N E C O N S V L T V M N O N P V T A R E? Valet autem, non benè consultum, idem quod dixit superius, stultum. Quanquam etiam sine τὸ, I D, sententia constare potest. Atque tū quidem benè sequitur. S E D E S T D I F F I C I L E &c. Accepto videlicet S. ab extremo dictionis, P V T A R E S, & copulato cum sequenti, I D, vt modò diximus. Quam nos quidem coniecturam, superiori coniecturæ aliquanto pòst attexendam esse existimauimus. Videtur autē res ipsa tota ad illud referri oportere, quod dixit suprà n° 1. Nos plerumque consilia euentis ponderamus, & cui benè quid processerit, multum illū prouidisse. cui secus, nihil sensisse dicimus. Interdum, vt dicam quod res est, totū hoc vacare dixerim, Q V O D M A L E C E C I D I T, I D B E N E C O N S V L T V M N O N P V T A R E. Quod quidem glossema esse videtur, additum ab eo, qui, quod dicit breuiter Cicero, intelligi sine hoc additamento posse non putauit.

C V M S P E M A G N A S I S I N G R E S S V S) Videndum an alicubi legatur, A G G R E S S V S, pro, I N G R E S S V S.

M V L T A R O G A B A T) Fortè, M V L T V M.

N I H I L A V T E M E R A T I L L O B L A N D I V S, N I H I L H O C B E N I G N I V S) I L L O, Ptolomæo, H O C, Rabirio.

birio. Legerem autẽ ferè. NIHIL ETIAM ERAT &c. Nouam enim causam adfert, cur Rabirius difficile sibi temperaturus erat, quominus magis ac magis Regi crederet, regi, inquam, blandissimo, ipse benignissimus. Sed, AVTEM, quoque sat bonũ est.

ORATIO.

IIII. CICERO.

HInc primum exoritur crimen illud: Senatum corruptum esse dicunt. O dii immortales, hæc est illa exoptata iudiciorum seueritas? corruptores nostri causam dicunt: nos, qui corrupti sumus, non dicimus. Quid ego Senatum defendam hoc loco Iudices? omni equidem loco debeo, ita de me est meritus ille ordo: sed id nec agitur hoc tempore, nec cùm Posthumi causa res ista coniuncta est. Quanquam ad sumptum itineris, ad illam magnificentiam apparatus, comitatúmque regium suppeditata pecunia à Posthumo est, factæq; singraphæ sunt in Albano Cn. Pompeii, cùm ille Roma profectus esset: tamen non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quærere. Non enim latroni, sed Regi credidit: nec Regi inimico populi R. sed ei, cuius reditum Consuli datũ à Senatu videbat: nec ei Regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum fœdus feriri in Capitolio viderat.

NOTAE.

PATRIC. HINC PRIMVM EXORITVR CRIMEN ILLVD. SENATVM CORRVPTVM ESSE DICVNT) Vel, HIC, legatur pro HINC, & tunc ſententia erit clarior: vel, omnia illa deleantur, PRIMVM EXORITVR CRIMEN ILLVD. Et tūc exponam, HINC, ex hac pecunia ſcilicet, corruptum eſſe dicunt Senatum. Delenda quidem eſſe videntur, tum quòd ex loco inferiore deſumpta eſſe appareant, nº 18. AT EX HOC IPSO CRIMEN EXORITVR. Tum etiam, quòd ſi nō deleantur, nullam ferè accuſatio illa ſequens aduerſus Rabirium vim haberet, quòd Senatus corruptus eſſe diceretur. Nunc deletis illis, & iis quæ reſtant coniunctis inter ſe, ſic. HINC SENATVM CORRVPTVM ESSE DICVNT: vim accuſatio maiorem habet, cùm obiicitur Rabirio, quòd ex ea pecunia, quam ille Regi credidiſſet, corruptus eſſe Senatus dicatur. Quod tamen verba illa attinet, PRIMVM EXORITVR CRIMEN ILLVD, ſic etiam loquitur in ea pro Ligario nº 13. Hinc in Ligarium crimen exoritur.

O DII IMMORTALES) Reſpondet primò non ad id quod obiicitur, ſed ad illud ſimpliciter, quod dicunt, Senatū corruptū eſſe. Hoc ita eſſe, ſtatim ſignificat dicens. NEC ID AGITVR HOC TEMPORE, NEC CVM POSTHVMI CAVSA RES ISTA CONIVNCTA EST.

CORRVPTORES NOSTRI) Ironicè de Rabirio, vel Gabinio ipſo. Vel etiam ſine Ironia, per conceſsionem. Concedamus, inquit, corruptum Senatum eſſe. Quid hoc igitur rei eſt, vt, qui corruperint, cauſam dicere cogantur, qui corrupti ſunt, non cogantur? O ſingularem & multum diuq; exoptatam iudiciorum ſeueritatem. NOSTRI autem eſt ab, ego: non à, noſter. Illi nimirum corruptores, qui nos corruperunt.

QVID EGO SENATVM DEFENDAM,) quòd ſe ſcilicet corrumpi paſſus fuerit. Lego autem ferè. QVID? ERGO SENATVM.

SED ID NEC AGITVR) Malo. SED NEC ID AGITVR. Dixi modò.

NEC CVM POSTHVMI CAVSA RES ISTA

CONIVNCTA EST) Quid si? NEC CAVSA POSTHVMI CVM RE ISTA CONIVNCTA EST. Nimirum, Cũ, & Cã, scriptura similia sunt, vt alterum in alterius locum facile subire potuisse, credibile sit. Sic infrà n° 5. de eodem. Posthumi causa quæcunq; est, seiuncta à Senatu est.

QVANQVAM AD SVMPTVM ITINERIS) fortè. QVANQVAM ENIM AD SVMPTVM ITINERIS. Atq; his verbis demum, directè respondet ad illud, quod obiiciebatur. Ex pecunia Posthumi Senatum corruptum esse.

TAMEN NON DEBVIT IS QVI DABAT, QVO ILLE, QVI ACCIPIEBAT CONSVMERET, QVÆRERE.) Fortasſis, QVOMODO ILLE QVI ACCIPIEBAT &c. Sic enim aliquando scribitur QVõ quod legitur, QVOMODO. Scriptura autem illa nihil ferè differt à, QVò. Nisi fortè ita dictum sit, vt illud n° 5. Est enim hæc causa quò ea pecunia peruenit. Et n°. 6. neminem vnquam quò ea pecunia peruenisset causam dixisse. QVò, id est, ad quid: vel, quam ad rem. Sed tunc tamen quoq; vix optimè dictum dicerem, QVO CONSVMERET. Potius, QVO CONVERTERET, vel, si propius ad scripturam velis accedere, QVò INSVMERET, Turnebus, pro, CONSVMERET, legendũ suspicatur, TVM SVMERET.

CVIVS REDITVM CONSVLI DATVM A SENATV) Si liceret sic loqui, REDVCTVM, mallẽ planè quàm, REDITVM. Nec scio sanè cur non liceat. Si enim licet, ductus, cur non etiam, reductus? alioqui scribo, REDVCTõM, quod valet, REDVCTIONEM, & tunc muto genus, DATAM, scilicet pro, DATVM. Est autem reductio, idem quod reductus, sicut reditio, idem quod reditus, & dominatio, idem quod dominatus, & multa eiusmodi, quæ notat Nonius lib. de indiscretis generibus. Lambinus REDITVM, legit, vt vulgo: pro, DATVM, tamen legit, MANDATVM.

ORATIO.

QVod si creditor in culpa sit, non qui improbè V. CICERO.

 credita

credita pecunia vsus: damnetur is, qui fabricatus gladium est, & vendidit: non is, qui illo gladio ciuem aliquem interemit. Quamobrem neque tu C. Memmi hoc facere debes, vt Senatum, cuius auctoritati te ab adolescentia dedisti, in tanta infamia versari velis: neque ego id, quod non agitur, defendere. Posthumi enim causa, quaecunq; est, seiuncta à Senatu est. Quòd si item à Gabinio seiunctam ostendero, certè quod dicas, nihil habebis. Est enim hæc causa, quo ea pecunia peruenerit, quasi quædam appendicula causæ iudicatæ atq; damnatæ. Sunt lites æstimatæ A. Gabinio: nec prædes dati, nec ex eius bonis, quanta summa litiũ fuisset, à populo recipi, lex æqua est.

NOTAE.

PATRIC. IMPROBE PECVNIA VSVS) IMPROBE EST PECVNIA VSVS.

ET VENDIDIT) AVT VENDIDIT. Satis est enim aut fabricauisse, aut vendidisse, vtrumq; non est necesse. Et tamen videndum, an hoc ipsum siue, ET VENDIDIT, siue, AVT VENDIDIT, ceu additamentum sit assutum aliunde.

AB ADOLESCENTIA DEDISTI) DEDIDISTI, fortasis.

SEIVNCTA A SENATV EST) A SENATV, id est, à causa Senatus. Et mox, A GABINIO, id est à causa Gabinii.

SVNT LITES ÆSTIMATÆ A GABINIO: NEC PRÆDES DATI) Legerẽ, vel potius distinguerem. SVNT LITES

LITES ÆSTIMATÆ, A GABINIO NEC PRÆDES DATI. Infra n° 22. si aut prædes dedisset Gabinius. Vidit hoc quoq; Lambinus, sed aliter emendat tamen.

NEC EX EIVS BONIS QVANTA SVMMA LITIVM FVISSET, A POPVLO RECIPI, LEX ÆQVA EST) Cum considero eadem illa, quæ sunt n° 22. statim post verba, quæ modò in superiori scholio recitaui, legerem hoc loco, RECEPTVM, pro, RECIPI: & deinde, nullo interiecto comate, pro, LEX ÆQVA EST, legerem ferè, EX ÆQVO EST. Vt totũ legatur sic. A GABINIO NEC PRÆDES DATI, NEC EX EIVS BONIS QVANTA SVMMA LITIVM FVISSET, A POPVLO RECEPTVM EX ÆQVO EST. Ex æquo, quanta scilicet litium summa fuisset. Quod si quis tamen malit, RECEPTA, pro, RECEPTVM, susq; deq; feram. Locus quidem quem citaui, sic habet. Si aut prædes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litiũ fuisset, populus recepisset &c. Turnebi exemplar, pro, A POPVLO RECIPI, legit, POPVLVS RECEPIT. Idem autem Turnebus alicubi legi scribit. NEC EX BONIS POPVLI SERVATI. Lambinus, vti nos posteriore nostra coniectura diximus, sic legit, RECEPTA, pro, RECIPI: interpretatur autem, recepta, recuperata, quod etiam, RECIPERATA hoc loco legi posse censet. Idem addit in Memmianis, pro, RECIPI, scriptũ esse, SERVARI, vt legas, SERVATA, id autem est, exacta à debitoribus & recuperata. De qua nos quoq; seruandi significatione, dudum admonuimus, in illud n° 17. huius ipsius orationis. Hæc vna, inquit, ratio seruandæ pecuniæ, i, recuperandæ, vt ibi dicemus. Addit autem idem Lambinus, LEX ECQVA EST, pro, LEX ÆQVA EST, scribendum esse. Manutius, RECEPTVM, pro, RECIPI, cætetera non attingit.

Atq; hoc loco sanè, quo ego quidem meam coniecturam cum Lambini coniectura conuenire ostendi, temperare mihi non potui quin narrarem, quod hoc tempore venit in mentem mihi. Iampridem esse, vt ab amicis admoneor, ederem quamprimùm, omnes has notas meas, quas illi in plerosq; veteres scriptores, dudum cõfecisse me, non ignorant: ne videlicet interim, dum nos magnificam nescio quam illarum editionem molimur, omnes coniecturæ no-

ræ noſtræ, notis illis comprehenſæ, ita ab hominibus eruditis occupentur, vt editæ poſtea in publicum, aut, lucem ipſam non ferant, aut, quod huic proximum eſt, gratiam omnem amittant. Id adeò cum ſœpè antea admonuiſſent me, tùm illo tempore maximè, cum tomus tertius Aduerſariorum Hadr. Turnebi poſtumus prodijſſet. Quem quidem cùm fortè fortuna aperuiſſemus, incidimus in caput 32. lib. 26. vbi ille locum illum ex lib. 1. Officiorum Ciceronis, NE CVPIDE QVID AGERENT NEV APPETERENT, legendum eſſe cenſet. NE CVPIDE QVID AGERENT, NE APPETENTER. Quod ipſum cùm ego multò antè iiſdem illis amicis meis, ex his ipſis notis meis, eodem illo modo legendum eſſe oſtendiſſem, necdum tamen ſatis probauiſſem, eueſtigiò, vt primùm, idem illud, quod mihi in mentem venerat, viro quoq; pererudito, in mentem veniſſe demõſtraui, mirifice probauerunt, & vt notas illas meas tantò celerius vulgò legendas proponerem, monuerunt. Ego verò gauiſus, veterem obſeruationem meam recentibus adnotationibus aliorum, tantis præſertim locorum interuallis diſiunctorum hominum, cõfirmari, priuatis primùm meis ſtudiis, deinde communi ipſi ſtudioſorum vtilitati magnopere ſum gratulatus: editionẽ tamen notarum ipſarum, de qua ab amicis admonebar, differendam tum etiam eſſe exiſtimaui, vt videlicet interea, multa multorũ intuens, aut in meis ipſius veteribus coniecturis confirmarer, ſi eas cum aliorum ſententiis congruere viderem, aut, ſi à meis opinionibus diſcrepare cernerem, anſam ex eo caperem, ad vberius in omnia inquirendum. Quo quidem in genere quantũ profecerim, his pauculis edendis, periculum interea facere volui, vt ex eis cognoſcerem, reliquæ eiuſmodi cogitationes meæ ſpectandæ an exigendæ ſint lectori prius. Hoc quidem loco, pro, RECIPI, Lambinus, vt dixi, RECEPTA, Manutius, RECEPTVM, legũt. Quod vtrumq; nos antea, vt dixi, diuinaueramus. Illud nemo eorũ nec legiſſe ſe oſtendit, nec diuinaſſe, pro, LEX ÆQVA EST, EX ÆQVO EST, legendum videri. Quod ipſum tamen quantum valeat, alij deinceps iudicabunt,

LEX ÆQVA EST) Diximus, EX ÆQVO EST, legendum videri, Alioqui videndum.

ORATIO.

ORATIO.

VI. CICERO.

IVbet lex Iulia persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit qui damnatus sit, peruenerit. Si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quàm in antiquis legibus, & sanctius iudicata: sanè etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua. Sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modò in Cornelia, sed etiam antè in lege Seruilia. Per deos immortales, quid agimus Iudices, aut quem hunc morem nouorum iudiciorũ in Remp. inducimus? erat enim hæc consuetudo nota vobis quidem omnibus, sed, si vsus magister est optimus, mihi debet esse notissima. Accusaui de pecuniis repetundis, iudex sedi, Prætor quæsiui, defendi plurimos: nulla pars, quæ aliquã facultatem dicendi afferre posset, non mea fuit. Ita contendo, neminem vnquam, quò ea pecunia peruenisset, causam dixisse, qui in æstimandis litibus appellatus non esset: in litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum.

NOTAE.

MVLTA SVNT) in hac lege Iulia scilicet. PATRIC.

C ET SAN-

ET SANCTIVS IVDICATA) Interdum suspicor τὸ, IVDICATA, abesse posse.

SANE ETIAM) Fortè. SANE EST ETIAM.

IN CORNELIA SED ETIAM ANTE IN LEGE SERVILIA) Malim vel sic. IN LEGE CORNELIA SED ETIAM ANTE IN SERVILIA. vel sic. IN CORNELIA SED ETIAM ANTE IN SERVILIA. vt vtrobiq; intelligatur LEGE.

PER DEOS) Minore littera, pendet enim periodus.

QVEM HVNC) vel, QVOMODO HVNC, vel, QVEM NVNC.

ITA CONTENDO) non damno. Quid tamen si. ITAQVE CONTENDO. vel, IDEM CONTENDO.

ORATIO.

VII. CICERO. *ITaq; in ferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se verebantur: &, cùm erant appellati, si videbatur, statim contradicere solebant. Sin eius temporis recentem inuidiam, pertimuerant, respondebant postea. Quòd cùm fecissent, permulti sæpè vicerunt. Hoc verò nouum est, ante hoc tempus omnino inauditum. In litibus Posthumi nomen est nusquam: in litibus dico? modò vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis: num quis testis Posthumum appellauit? testis autē? num accusator? num denique toto illo iudicio Posthumi nomen audistis? Non igitur reus ex ea causa, quæ iudicata est, redundat Posthumus: sed est arreptus vnus eques R. de pecuniis*

de pecuniis repetundis reus. Quibus tabulis? quæ in iudicio à Gabinio recitatæ non ſunt. Quo teſte? à quo tum appellatus nuſquam eſt. Qua appellatione litium? in qua Poſthumi mentio facta nulla eſt. Qua lege? qua non tenetur.

NOTAE.

IN FERENDIS LITIBVS) Fortè IN SERENDIS. Vel potius, IN ÆSTIMANDIS. Sed abeſt longius à ſcriptura. Malo igitur abſq;, FERENDIS. IN LITIBVS præcisè. Sic enim infrà. IN LITIBVS POSTHVMI NOMEN EST NVSQVAM. Lamb. vel, IN INFERENDIS, vel, vt nos, deleta voce, FERENDIS. PATRIC.

CONTRADICERE) duobus verbis CONTRA DICERE. Sic enim hoc dicitur vt aliàs illa. DISPVTARE CONTRA, PVGNARE CONTRA.

NOVVM EST ANTE HOC TEMPVS) Fortè, EST ET ANTE. Ex orat. pro Deiotaro, initio.

REVS REDVNDAT POSTHVMVS) Noua vocis, redundare, vſurpatio : pro extare, vel exoriri.

ORATIO.

VIII. CICERO.

HIc iam Iudices veſtri conſilii res eſt, veſtræ ſapientiæ: quid deceat vos, non quantum liceat vobis, ſpectare debetis. Si enim, quid liceat, quæritis: poteſtis tollere è ciuitate, quem vultis: tabella eſt, quæ dat poteſtatem, occultat eadem libidinem: cuius conſcientia nihil eſt quod quiſquam

timeat, si non pertimescat suam. Vbi est igitur sapientia iudicis? in hoc, ut, non solùm quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec, quantum sibi permissum, meminerit solùm, sed etiam quatenus commissũ sit. Datur tibi tabella iudicij. Qua lege? Iulia de pecuniis repetundis. Quo de reo? de Equite R. at iste ordo lege ea non tenetur. Illo, inquit, capite, quod erat in Posthumum, quòd in Gabinium iudex esses, nihil Gabinio datum, cùm in eum lites æstimarentur? At nunc audio. Reus igitur Posthumus est ea lege, qua non modò ipse, sed totus etiam ordo solutus ac liber est.

NOTAE.

PATRIC. CVIVS CONSCIENTIA NIHIL EST QVOD QVISQVAM TIMEAT, SI NON PERTIMESCAT SVAM.) Lego. CVIVS CONSCIENTIAM. illud autẽ, CVIVS, interpretor, tabellæ. Hoc sensu. Si quis suã ipsius conscientiam nõ metuit, nihil est quod timeat tabellæ conscientiam: vt ei scilicet vereatur notam suæ libidinis committere, quam libidinem facile latebris tabellæ occultatum iri intelligit. CONSCIENTIAM, etiam Lambinus legit, sed non nisi in editione posteriori tandem: cùm ego id multo ante eius priorem etiam editionem, hoc loco adnotassem. Manutius vulgatam lectionem exponit. Sed videndum.

QVOD IN GABINIVM IVDEX ESSES) Videndum. Vide Turneb. loco eodem.

AT NVNC AVDIO) Fortassis, ATAT, NVNC AVDIO. Videlicet scriptũ erat, AT nunc audio. Terent. Atat, vicit vinum quod bibi.

ORATIO

ORATIO.

IX. CICERO.

HIc ego nunc non vos prius implorabo Equites R. quorum ius iudicio tentatur: quàm vos Senatores, quorũ agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cùm sæpe antè, tum in hac ipsa causa nuper est cognita. Nam cùm, optimo & præstantissimo Consule Cn. Pompeio de hac ipsa quæstione referente, existerent nonnullæ, sed perpaucæ tamen acerbæ sententiæ, quæ censerent, vt Tribuni, vt præfecti, vt scribæ, vt comites omnes magistratuum lege hac tenerentur: vos, vos, inquam, ipsi & Senatus frequens restitit: & quanquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat, tamen, cùm odium non restingueretis, huic ordini ignem nouũ subiici non siuistis. Hoc animo igitur Senatus. Quid vos Equites R. quid tandem estis acturi? Glaucia solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, vt, cùm lex aliqua recitaretur, primũ versum attenderet: si esset Dictator, Consul, Prætor, Magister Equitum, ne laboraret, sciret nihil ad se pertinere. Sin autem, quicunq; post hanc legem: videret ne qua noua quæstione alligaretur.

NOTAE.

PATRIC. IVDICIO TENTATVR) Fortè, IVDICIO HOC TENTATVR. HOC, autem intelligo Rabiriano, quoquidem agitur, vt iudicetur Rabirius ea lege, qua solutus ac liber est.

QVORVM AGITVR FIDES IN HVNC ORDINEM) Equestrem intelligo. Postremæ tamen tres voces nescio an abesse debeant.

TEMPVS ILLVD) Fero, & tamen τὸ, TEMPVS, videndum esse puto.

QVICVNQVE POST HANC LEGEM) Verba sunt solennia in legibus ferendis.

ORATIO.

X.

CICERO. *NVnc vos Equites R. videte. Scitis me ortum è vobis, omnia semper sensisse pro vobis: nihil horum sine magna cura & summa charitate vestri ordinis loquor: alius alios homines & ordines, ego vos semper complexus sum. Moneo & prædico, integra re causáq; denuncio, omnes homines deosq; testor, dum potestis, dum licet, prouidete, ne duriorem vobis conditionem statuatis, ordinique vestro, quàm ferre possit. Serpet hoc malũ (mihi credite) longius, quàm putatis. Potentissimo & nobilissimo Tribuno pl. M. Druso vnam in Equestrem ordinem quæstionem ferenti, Si quis ob rem iudicatam, pecuniam cepisset: apertè Equites R. restiterunt.*

runt. Quid? hoc licere volebant? minimè, neq; solùm hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur: attamen ita disputabant, eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illã conditionem vitæ secuti.

NOTAE.

QVAM FERRE POSSIT) Subaudio, ordo. Quid tamẽ si, FERRI, impersonaliter. Quid item? Si personaliter, FERRE POSSITIS. Sed medium ferè malo. PATRIC.

TRIB. PL. M. DRVSO.) Est locus in ea pro Cluentio n° 123. qui magnam vniuerso huic loco lucem adferre poterit, si legatur: quemadmodum sanè legi ab omnibus diligenter, magnum operæ precium erit, ad totius huius loci intelligentiam vberiorem. Is ita habet. O viros fortes Equites R. qui homini clarissimo ac potentissimo M. Druso Trib. pl. restiterunt, cùm ille nihil aliud ageret cum illa cuncta, quæ tum erat, nobilitate, nisi vti, qui rem iudicassent, huiuscemodi quæstionibus in iudicium vocarentur. Tunc C. Flauius Pusio, Cn. Titinius, C. Mœcenas, illa robora populi R. cæteriq; huiuscemodi ordinis nõ fecerunt idem, quod nũc Cluentius, vt aliquid culpæ suscipere se putarẽt recusando, sed apertissimè repugnarũt, cùm hæc recusarent, & palàm fortissimè atq; honestissimè dicerent, se potuisse iudicio populi R. in amplissimum locum peruenire, si sua studia ad honores petendos conferre voluissent: sese vidisse, in ea vita qualis splendor inesset, quanta ornamenta, quæ dignitas: quæ se non contempsisse, sed ordine suo, patrumq; suorum contentos fuisse, & vitã illam tranquillam & quietam, remotam à procellis inuidiarum, & huiuscemodi iudiciorum anfractu, sequi maluisse: aut sibi ad honores petendos ætatem integram restitui oportere: aut, quoniam id non posset, eam conditionẽ vitæ, quam secuti petitionem reliquissent, manere: iniquũ esse, eos, qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent, populi beneficiis esse priuatos,

uatos, iudiciorum nouorum periculis non carere : ſenatorem hoc queri non poſſe, propterea quòd ea cõditione propoſita petere cœpiſſet, quòdque permulta eſſent ornamenta, quibus eam mitigare moleſtiam poſſet, locus, authoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, prouinciæ : quibus in rebus cùm ſummum rectè factis maiores noſtri præmium, tum plura peccatis pericula propoſita eſſe voluerunt. Illi non hoc recuſabant, ea ne lege accuſarentur, qua nũc Habitus accuſatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc eſt Cornelia : intelligebant enim ea lege Equeſtrem ordinem non teneri : ſed, nè noua lege alligarentur, laborabant. Et quæ ibi ſequuntur.

IN EQVESTREM ORDINEM) Ferè mallem IN HVNC VESTRVM ORDINEM. Modò enim dixit. VOBIS ORDINIQ. VESTRO.

HOC LICERE VOLEBANT.) HOC, pecuniam accipere ob rem iudicandam, vt modò dixit. Sic enim quoq; legere ibi malo, quàm, iudicatam, vt vulgo legitur.

NEQVE SOLVM HOC GENVS CAPIENDAE PECVNIAE TVRPE.) Mallem NEC ENIM SOLVM. HOC GENVS, autem, ſignificat pecuniam captam, ob rem iudicatam, an iudicandam. Diximus.

EOS TENERI LEGIBVS.) Mallem, EOS TENERI IIS LEGIBVS. vel potius ſcriberem, EOS TENERI LEGIB. IIS. Et legerem. Eos teneri legibus iis.

QVI SVO IVDICIO ESSENT ILLAM CONDITIONEM VITÆ SECVTI.) ILLAM, quam ſcilicet qui ſequuntur, eos iis legibus teneri oporteat. Sic dixit in ea pro Cluentio nº 124. Eam conditionem vitæ, quam ſecuti petitionem reliquiſſent. Interdum tamen, pro, ILLAM, mallem ferè, ALIAM. ALIAM, autem exponerem, quàm equites ſcilicet ſequuntur. Nimirum etiam vtramq; conditionem vitæ mox exponit. Vnam, cum inquit. TE DELECTAT AMPLISS. &c. ſic enim quoq; mallem, addito, TE, ante, DELECTAT quòd huic, TE, opponit ſtatim, NOS. Nos iſta nunquam contempſimus &c. Quæ eſt vitæ altera conditio. In qua quidem etiam deſcribẽda, quòd illis verbis apertè vtitur, quæ his directè opponi videantur. NOS, inquiens, HANC VITAM QVI-

ETAM

ETAM ET OCIOSAM SECVTI SVMVS, QVAE QVONIAM HONORE CARET &c. palàm indicare videtur, ALIAM, fortaſsis pro, ILLAM, legendum eſſe: vt iam diximus.

ORATIO.

XI. CICERO.

DElectat ampliſsimus ciuitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia, prouinciæ, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita: eſt ſimul etiam ſolicitudo aliqua, & legum & iudiciorũ maior quidam metus. Nos iſta nunquam contempſimus (ita enim diſputabant) ſed hanc vitam quietam atq; ocioſam ſecuti ſumus. Quæ quoniam honore caret, careat etiam moleſtia. Tam es tu iudex, quàm ego Senator. Ita eſt: ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor. Quare aut iudici mihi non eſſe liceat, aut legem lege ſenatoria nõ timere. Hoc vos Equites R. ius à patribus acceptum amittetis? moneo ne faciatis. Rapientur homines in hæc iudicia ex omni non modò inuidia, ſed ſermone maleuolorũ, niſi cauetis. Si iam vobis nunciaretur, in Senatu ſententias dici, vt his legibus teneremini, concurrendum ad Curiam putaretis: ſi lex ferretur, conuolaretis ad roſtra. Vos Senatus liberos hac lege eſſe voluit, populus nunquam alligauit: ſoluti

huc cõuenistis: ne constricti discedatis, cauete. Nam si Posthumo fraudi fuerit, qui nec Tribunus, nec præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinii fuit, quonam se modo defendent posthac, qui vestri ordinis cum magistratibus nostris fuerint his causis implicati?

NOTAE.

PATRIC. DELECTAT) TE DELECTAT. Diximus modo.

EST SIMVL ETIAM) Legerem, ESTO, Viuidius. Nam suprà dixit, eos teneri legibus oportere. Sic infrà, in eodem genere. Careat etiam molestia. Ergo hic, ESTO, inquit, SIMVL ETIAM SOLICITVDO ALIQVA. SIMVL, autem, cũ eo scilicet, quod te delectat. Tale illud Deiot. n° 21. Esto. concedatur hæc quoque acerbitatis & odii magnitudo.

MAIOR METVS) MAIOR, quàm in reliquis videlicet, quos hæc ampla & magnifica non delectant.

TAM ES TV IVDEX, QVAM EGO SENATOR) Exponerem. Vterq; ex æquo iudices sumus, tam tu qui es Eques, quàm ego qui sum Senator. Ex æquo igitur, tu Eques, & ego Senator, quæstione pecuniæ captæ ob rem iudicatã teneri debemus. Est enim obiectio ex persona Senatoris, aduersus Equitem. TAM ES TV IVDEX QVAM EGO. Sed illud, SENATOR, abundare ferè dixerim: aut certè, EQVES, ibi addendum. TAM ES TV IVDEX EQVES QVAM EGO SENATOR.

ITA EST) Respondet obiectioni.

TV ISTVD PETIISTI) Iudicio tuo hanc conditionem vitæ es secutus. Sic enim dixit modò.

AVT LEGEM LEGE SENATORIA NON TIMERE) Sic ferè modò. Legum & iudiciorum maior quidam metus. Ac tunc quidem legerem simpliciter. LEGEM SENATORIAM NON TIMERE. Sed si dicendũ libere est, quod

in animo est, potius legendum totum putem. AVT LEGE SENATORIA NON TENERI. Corruptus locus ad talem aliquem modum. Fortè fortuna fecit lusciosus aliquis & ineptus, ex, TENERI, TIMERE: vt legeretur, AVT LEGE SENATORIA NON TIMERE. Quod sciolus item quispiam conspiciens, addidit in ora libri, LEGEM: vt indicaret, LEGEM, fortaßis pro, LEGE, reponendum esse. Quod tandē alius non intelligens, vtrumq; in contextū recepit, & legit. LEGEM LEGE SENATORIA NON TIMERE. Ita prior error pater fuit posterioris.

NEC EX ITALIA COMES) Fortè videndū. Delerem vt glossema, EX ITALIA. Infra 13. Num Gabinii comes &c.

HIS CAVSIS IMPLICATI) HIS propter has scilicet causas, quas modò dixit, & paulo superius n° 9. Tribunatus, Præfecturæ, comitatus, familiaritates. Vel, HIS CAVSIS, dandi casu. vt sit. IMPLICATI HIS CAVSIS, pecuniarum scilicet repetundarum.

ORATIO.

XII. CICERO.

TV, inquit, Gabinium, vt Regem reduceret, impulisti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio grauius agere. Quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo. Quocum stante si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc iam ipsius fortuna reduceret. Sed tamen, cùm ita dicis, Posthumi impulsu Gabiniū profectum Alexandriam: si defensioni Gabinii fidem non habes, obliuisceris né etiam accusationis tuæ? Gabinius se id fecisse dicebat Reip. causa, quòd

classem Archelai timeret, quòd mare refertum fore prædonum putaret. Lege etiam id sibi licuisse dicebat. Tu inimicus negas: ignosco, et eò magis, quòd est contra illud iudicatum.

NOTAE.

PATRIC. TV INQVIT) TV Posthume.

NON PATITVR MEA ETIAM FIDES) Vide fragmentũ orationis pro Gabinio. quod ita habet. Ego cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione, & fide, tum eas maximè, quæ essent ex inimicitiis reuocatæ in gratiã: propterea, quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel (vt grauius interpretemur) negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectũ, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ asßignari solet. Legerem hic autem NON PATITVR ME MEA. Scriptum enim ferè fuit, ME a.

IPSIVS FORTVNA) inclinata & afflicta.

OBLIVISCERISNE ACCVSATIONIS TVÆ.) Statim eam accusationem exponet.

ORATIO.

XIII. CICERO. *REdeo igitur ad crimen & accusationem tuam. Quid vociferabere decem millia talentûm Gabinio esse promissa? huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, vt tu vis, auarißimũ exoraret, sestertiûm bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud quoquo consilio*

consilio fecit, fecit certè suo: quæcunque mens illa fuit, Gabinii fuit. Siue ille, vt ipse dicebat, gloriam, siue, vt tu vis, pecuniam quæsiuit: quæsiuit sibi. Num Gabinii comes, vel sectator? negat: nō ad Gabinii, cuius id negotium non erat, sed ad P. Lentuli clarissimi viri auctoritatem, à Senatu profectam, & consilio certo, & spe non dubia Romam contenderat. At Diœcetes fuit Regius: & quidem in custodia etiam fuit regia: & vita eius oblata pœnæ est. Multa præterea, quæ libido regis, quæ necessitas coëgit ferre, pertulit.

NOTAE.

HVIC VIDELICET PERBLANDVS) Videndum aliquid. Supra n° 3. Nihil erat illo blandius. Lambinus addit, ALIQVIS, post, perblandus, Manutius, HVI, pro, HVIC, legit. Sed mihi vix dum etiam satisfacit. PATRIC.

QVOQVO CONSILIO) siue bono siue malo.

SIVE ILLE) Fortè, ET SIVE ILLE.

AT DIOECETES FVIT REGIVS) Obiectio.

ET QVIDEM IN CVSTODIA FVIT ETIAM REGIA) Responsio Ciceronis. Dedita autem opera respondere videtur, sic vt amplificetné hominis dignitatem, an contrà, non satis intelligas, propter ambiguitatem vocis, CVSTODIA. Sed cùm hactenus ambiguè dixisset, statim apertè declarat, quid velit, cùm inquit. ET VITA EIVS OBLATA POENAE EST. Pro quo tamen ipso, videndum an reponi præstiterit, VITA EI ABLATA PENE EST.

ORATIO.

XIIII. CICERO.

QVarum omnium rerum vna reprehensio est, quòd regnum intrarit, quòd potestati se regis commiserit. Verum si quærimus, stultè: quid enim stultius, quàm Equitem R. ex hac vrbe, huius inquam, Reip. ciuem, quæ est vna maximè, & fuit semper libera, venire in eum locum, vbi parendũ alteri & seruiendum sit? Sed ego in hoc tandem Posthumo non ignoscam homini mediocriter docto, qui videam sapientissimos homines esse lapsos? virum vnum totius Græciæ facile doctissimum Platonem, iniquitate Dionysii Siciliæ tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidiisq́; esse versatum accepimus: Callisthenem doctum hominem, comitem magni Alexandri, ab Alexandro necatum: Demetrium & ex repub. Athenis, quam optimè digesserat, & ex doctrina nobilem & clarũ, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Ægypti regno aspide ad corpus admota vita esse priuatum.

NOTAE.

PATRIC. EQVITEM ROMANVM EX HAC VRBE, HVIVS INQVAM REIPVB. CIVEM) Delerem tria verba illa, EX HAC VRBE, quæ mihi glossema veluti quoddam eius quod præcessit, ROMANVM, redolere videntur. Quæ ipsa tamen

tamen si manent, expono. Nihil est stultius, quàm Equitem Rom. venire ex hac vrbe in eum locum, vbi alteri seruiendum sit. Opponit enim τὸ, EX HAC VRBE, τῷ, IN EVM LOCVM. Sed quoniam τὸ, EX HAC VRBE, adiunctũ ad illud, EQVITEM ROMANVM, videri poterat sic prolatum, quasi si dixisset, equitem Rom. ex hac vrbe, quod certè non optimè diceretur, iccirco corrigit se, & dicit, non, Equitem Rom. ex hac vrbe, sed, EQVITEM ROMANVM. HVIVS, INQVAM, REIPVB. CIVEM, QVÆ EST VNA MAXIME ET FVIT SEMPER LIBERA, VENIRE EX HAC VRBE IN EVM LOCVM, VBI PARENDVM ALTERI ET SERVIENDVM SIT.

SED EGO IN HOC TANDEM) Fortè. SED EGÓNE HOC TANDEM. Vel, SED EGO, NVM HOC TANDEM. Vel, VNIn' HOC TANDEM. Atq; adeò pro, TANDEM, etiam fortaßis, TANTVM. Sic. SED EGOn' vel, SED EGO VNIn' HOC TANTVM POSTVMO NON IGNOSCAM? Significat autem ferè, HOC, venire in locum, vbi alteri seruiendũ sit. Alioqui, IGNOSCERE IN HOC, videndum quàm bene dicatur.

QVI VIDEAM SAPIENTISS.) QVI, pro, QVO. Soline Posthumo ignoscendum hoc non est, quo ipso multi alii, & quidem sapientißimi, sunt lapsi? Vt se scilicet his vel terris vel hominibus crederent, vbi alteri seruiendum sit. Et statim ostendit doctißimos homines in hoc genere magnopere esse lapsos. Dicitur autem, LABI HOC, vt labi ambitione, opinione, inopia: quæ omnia sunt à Cicerone vsurpata.

DEMETRIVM ET EX REPVB. ATHENIS, QVAM OPTIME DIGESSERAT, ET EX DOCTRINA NOBILEM ET CLARVM, QVI PHALEREVS VOCITATVS EST) Hoc ego, si totum Ciceronis est, totũ legerem sic, DEMETRIVM QVI PHALEREVS VOCITATVS EST, ET EX REPVB. ATHENIS QVAM OPTIME DIGESSERAT ET EX DOCTRINA NOBILEM ET CLARVM Si non totum Ciceronis est, sic ferè restituerem. DEMETRIVM QVI PHALEREVS VOCITATVS EST, ET EX REPVB. ATHENIEN. ET EX DOCTRINA NOBILEM ET CLARVM.

ORATIO.

XV.
CICERO.

Planè confiteor fieri nihil posse dementius, quàm scientem in eum locum venire, vbi libertatem sis perditurus. Sed huius istius facti stultitiã maior iã superior stultitia defendit: quæ facit, vt hoc stultissimum facinus, quòd in regnum venerit, quòd Regi se commiserit, sapienter factum esse videatur. Siquidem tam semper stulti, quàm serò sapientis est, cùm stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit se expedire. Quamobrem illud maneat, & fixum sit, quod neque moueri, neque mutari potest, in quo æqui sperasse Posthumum dicunt, peccasse iniqui, ipse etiam insanisse se confitetur, quòd suam, quòd amicorum pecuniam Regi crediderit, cum tanto fortunarum suarũ periculo. Hoc quidem semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt, vt se aliquando ad suos vindicaret. Itaque obiicias licet, quàm voles sæpe, palliatum fuisse, aliqua habuisse non Romani hominis insignia: quoties eorũ quippiam dices, toties vnum dices, atq; illud, temerè hunc pecuniam Regi credidisse: suas fortunas atque famam libidini Regiæ commisisse.

NOTAE

NOTAE.

PLANE CONFITEOR) Redit ab exemplis aliorum ad PATRIC. factum Postumi.

HVIVS ISTIVS FACTI)Doctus vir & mei amantissimus. videtur eiusmodi lectionem vbiq; suspectam habere, HIC ISTE, HVIVS ISTIVS, HVNC ISTVM. & si quis conetur imitari, videtur etiam non admodum probare. Mihi, vt verũ fatear, non displicet, ne nostrâs quidem ille, qui id vsurpat sœpius penè cæteris. Quod ipsum, cùm alibi, tum mea quidẽ sententia, extare etiam videtur apud venustissimum Poëtarum Catullum in epigrammate ad Lesbiam.

Quis me vno viuit felicior ? aut magis hac ista
Optandam vitam dicere quis poterit ?

Sic enim lego illud, quod in vulgatis legitur. Aut magis hoc est. Vt scilicet collidatur vltima prioris versus, cum prima posterioris. Quod quidem exemplũ ad eam rem quam volo, idcirco libentius hoc loco attuli, quòd in illo, Est, expressum mihi veræ lectionis vestigium residere videatur. Quanquam sanè non ignorem, aliter alios locum poëtæ emendare.

MAIOR IAM SVPERIOR STVLTITIA) Bene. Quid si tamen, MAIOR AC SVPERIOR. Vel potius, MAIOR ILLA SVPERIOR. Sed benè habet. Maiorem autem stultitiam vocat, de qua suprà dixit n° 3. Stultè, quis negat ?

SIQVIDEM TAM SEMPER STVLTI, QVàm SERO SAPIENTIS EST.) Ostendere vult Orator, quod dixit, stultissimum illud Postumi facinus, quòd in regnum Ptolomæi venerit, non stultè, sed sapienter factum videri, in comparatione stultitiæ superioris, quam maiorem fuisse dicit. Adderem igitur hoc loco negantem particulam, & legerem pro, TAM, NON, Sic. SIQVIDEM NON SEMPER STVLTI. Cætera etiam accommodarẽ sic. QVANQVAM SERO SAPIENTIS EST. Nimirũ, hoc, quamquam, scriptum erat sic. QVAM. Atq; hoc quidem sic. Sed tamen illud, SEMPER, nõ satis adhuc placet. Quid igitur si sic ? SIQVIDEM HAVD MAGNOPERE STVLTI. Etiam Lambinus suspectum locũ habuit, emendauit autẽ, TAM NON SEMPER STVL-

TI, QVàm &c. Quod si est, equidem malim, NON TAM SEMPER STVLTI, QVàm &c. Et hoc probo. Nam & stultum fatetur facinus, & idem tamen sapienter factum ostendit. Manutius legit, vt vulgo, & interpretatur.

PERPETIENDA ILLA FVERVNT) Fortè, ILLI EA FVERVNT. ILLA, autem siue, EA, intelligit, quòd scilicet in regnum Ptolomæi se contulerit: & quæ eam profectionem sunt consecuta.

VT SE ALIQVANDO AD SVOS VINDICARET) Vix rectum. Fortasis legendũ, VT ÆS ALIQVANDO ILLVD SVVM VINDICARET. Hoc statim ita effert n° 17. Postumo crimen vestitus afferet is, in quo spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas peruenire.

ALIQVA HABVISSE NON ROM. HOMINIS INSIGNIA) ALIQVA, videndum. Fortè, GRAECA, vel, GRÆCI. Sic. GRÆCA HABVISSE &c. vel. GRÆCI HABVISSE, NON ROM. Sed fero, quod præferũt libri pasim.

VNVM DICES ATQVE ILLVD.) Delerem ferè, ATQVE. sic. VNVM DICES ILLVD. Lamb. ex aliis libris legere se dicit. VNVM DICES ATQVE IDEM.

SVAS FORTVNAS LIBIDINI REGIÆ COMMISISSE) Supra n°1. statim initio.

ORATIO.

XVI. CICERO. *FEcerat temere, fateor: mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriæ, vt & Romæ togato esse liceret: aut omnes fortunæ abiiciendæ, si togam retinuisset. Deliciarum causa & voluptatis non modò ciueis R. sed & nobiles adolescentes & quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis aut suburbanis*

suis

suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus. Chlamydatum illum L. Syllam imperatorem, L. verò Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochúmque deuicit, non solùm cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis. Quorum impunitas fuit non modò à iudicio, sed etiam à sermone. Facilius certè P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet: qui cùm à Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatem Regis in togatos vestitus mutatione vitauit.

NOTAE.

AVT PALLIVM SVMENDVM) Conformatis duabus ex proximè superiore verbo, POTERAT, dictionibus, sic legerem. POTERAT. ITA ERAT AVT PALLIVM SVMENDVM. Sic enim ibi. Mutari factum iam nullo modo poterat, aut pallium. PATRIC.

VT ET ROMAE) Videndum aliquid. Legerem planè, VT EI ROMAE. Hoc sensu. Si volebat aliquando Romæ viuere togatus, necesse erat, vt Alexandriæ sumeret pallium. Nam si cum toga Romæ mansisset, & iuris sui persequẽdi gratia Alexandriam (vbi palliatum viuere oportuit) profectus non fuisset, omnes fortunas amisisset, & ita postea Romæ togatus viuere nunquam potuisset. Nunc verò Alexandriæ pallium sumpsit, vt ibi curationem Regiam susciperet, fortunasq́; suas recuperaret. Infra nº 17.

SOEPE VIDEMVS) Fortè, VIDIMVS.

QVORVM IMPVNITAS FVIT NON MODO A IVDICIO SED ETIAM A SERMONE) Quasi tu dicas. Qui impuniti remansere, non modò à iudicio, sed etiam à sermone. Hoc est. Non modò eius rei causa non iudicantur, sed ne sermonibus quidem hominum obnoxii sunt. Videndum id tamẽ.

Cùm denuo ad hunc locum venissem, tale aliquid excogitandum esse, ad eius loci emendationem existimaui: vt legeretur, QVORVM IMPVNITVS MOS FVIT. Vel, QVORVM IMPVNITA RATIO FVIT. Vel, QVORVM IMPVNITA VOLVPTAS FVIT. Nam suprà, deliciarũ & voluptatis causa, ita incessisse nonnullos, dixit. Vel denique sic. QVAE TAMEN. Vel, QVAE TVM IMPVNITA SCILICET FVIT. Nimirum vt ex S, fiat, SCILICET: & τὸ, QVAE, ad statuam referatur, quæ ob peregrinum vestitum, neq; iudicio læsa fuit, neq; sermone cuiusquam. Illud certè pro Ligario, aliud est n° 6. Quorum igitur impunitas clementiæ tuæ laus est &c. Atque adeò, vt hoc quidem loco omnes meas cogitationes scribendo exhauriam, dico, videri mihi etiam sequentia illa, quæ ita habent. FACILIVS CERTE &c. ad talem aliquem modũ esse conformanda, & cum antecedentibus coniungenda. NON MODO A IVDICIO SED ETIAM A SERMONE ALICVIVS. Vel vt maximè, A SERMONE FACETI ALICVIVS. Vt deinde noua demum incipiat periodus. CERTE P. RVTILIVM. &c. & non vt antè. FACILIVS CERTE P. RVTILIVM. Dices. Nimium hoc esse. Atqui ego sic sum, si placeo, vtere: sin minus, tum nimium hoc quidem reseca, & si lubet, etiam abiice: nos autem ama, vel de animo saltem isto tam syncero.

ORATIO.

XVII. CICERO. *ERgo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudẽtiæ, Consularis homo soccos habuit & pallium: nec verò ideo id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putauit: Posthumo crimen vestitus afferet is, in quo spes fuit, posse sese aliquãdo ad fortunas suas peruenire? Nam vt ventũ est Alexandriam*

driam ad Auletem Iudices, hæc vna ratio à Rege proposita Posthumo est seruandæ pecuniæ, si curationem & quasi dispensationem regiam suscepisset. Id autem facere non poterat nisi Diœcetes: hoc enim nomine vtitur, qui à Rege esset constitutus. Odiosum negocium Posthumo videbatur: sed erat nulla omninò recusatio. Molestum etiam nomen ipsum: sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat. Oderat vestitum etiam illum: sed sine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat vis (vt ait poëta ille noster) quæ summas frangit infirmátque opes. Moreretur, inquies: nam id sequitur. Fecisset certè, si sine maximo dedecore tã impeditis suis rebus potuisset emori.

NOTAE.

VIRTVTIS ANTIQVITATIS) Videndum, ANTIQVITATIS. Quanquam hoc quidem etiam in laude nonnunquam vsurpatur. vt, homo antiqua virtute. De eodem autem P. Rutilio semper cum laude Cicero loquitur. Vide nostras adnot. in fragm. orationis pro Scauro. Lambinus habet, SANCTITATIS, pro, ANTIQVITATIS. PATRIC.

NEC VERO IDEO ID HOMINI) Legerem. NEC VERO IDEM ID HOMINI. Vel simpliciter. NEC VERO ID HOMINI. Et sic Lambinus.

IN QVO SPES FVIT) Legerem ferè. IN QVO VNO SPES FVIT. Atq; hoc sanè malo, quàm illud, SESE, duplicatũ, quod statim sequitur, POSSE SESE ALIQVANDO.

SERVANDÆ PECVNIÆ.) Eodem verbo in eadem re

vtitur Suetonius. Referens maiorum temporibus, inquit. Rabirio Posthumo, Ptolomæum Alexandriam, crediti seruandi causa secuto, maiestatis crimen apud iudices motum. Seruare, autem pecuniam, significat hoc loco, non tenere illam apud regem, sed, aut exigere à rege, aut certè sibi ipsi conseruare, quæ credita ad eum modum, pro, amissa poterat reputari. Ergo seruare, recuperare est. Quam significationem verbi, vidimus etiam postea, à Lambino esse obseruatam, in illud supra n° 5. Nec ex eius bonis quāta summa &c. dum affert, in quibusdam libris, pro, recipi, legi, seruari. Quod ipsum eodem illo in loco confestim adnotauimus.

SI CVRATIONEM ET QVASI DISPENSATIONEM REGIAM) Videndum vel, dispensationem, vel, regiam, vel vtrumque. Interdum legerem, REGIAE, pro, REGIAM. Vt scilicet susciperet curationē & dispensationē regiæ. Regiæ, inquam, quæ est videlicet domus & aula Regis. Nam & alibi orator idem, dispensationem ærarij vocat, quanquam alia fortassis quadam ratione. Ex quo fit, vt locus ipse carere posse videatur illo toto, ET QVASI DISPENSATIONEM.

ID AVTEM FACERE NON POTERAT) Videndum an τὸ, facere, abundet.

HOC ENIM NOMINE VTITVR QVI A REGE ESSET CONSTITVTVS) Legerem, EST, pro, ESSET. Quanquam ne hoc quidem totum valde mihi probatur, illud: præsertim. HOC ENIM NOMINE VTITVR. Videtur enim glossema esse. Mallem igitur sic. NISI DIOECETES, QVI A REGE ESSET CONSTITVTVS. Planissimè. Nam si Diœcetis nominis declaratione aliqua opus fuit, tum profectò opus fuit, cùm antea eo nomine vsus primùm esset, n° 13. At Diœcetes fuit regius. Interdū etiam mallem sic. ID AVTEM FACERE NON POTERAT, NISI DIOECETES CONSTITVTVS. Vel, NISI DIOECETES ESSET CONSTITVTVS. Vel, NISI DIOECETES A REGE ESSET CONSTITVTVS.

NON HIC IMPOSVERAT) Videndum hoc totum.

POTVISSET EMORI) Ferè vacat, EMORI.

ORA-

ORATIO.

XVIII. CICERO.

NOlite igitur fortunam conuertere in culpam: neque regis iniuriam huius crimen putare, nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari. Nisi fortè eos etiam, qui in hostes, aut in prædones inciderint, si aliter quippiam coacti faciant, quàm liberè, vituperandos putes. Nemo nostrûm ignorat, etiamsi experti non sumus, consuetudinem regiam. Regum autem sunt hæc imperia. Animaduerte, & dicto pare: et, Præter rogitatum si querare: & illæ minæ, Si te secundo lumine hîc offendero, moriere. Quæ, non vt delectemur solùm, legere & spectare debemus, sed vt cauere etiam & effugere discamus.

NOTAE.

PATRIC.

NEC CONSILIVM EX NECESSITATE) Nolite putare consilio actum aut voluntate, quod vi & necessitate gestum est.

SI ALITER QVIPPIAM COACTI FACIANT, QVAM LIBERE VITVPERANDOS PVTES) QVAM LIBERE, putarem esse glossema τοῦ ALITER. Quod ego quidem pro, male, ferè positum esse dixerim. Quanquã & hoc quidem, ALITER, videndum, an bene habere, videri, aut etiam an abesse queat. Vt totum legatur sic. SI QVIPPIAM COACTI FACIANT, VITVPERANDOS PVTETIS, Sic enim lego, pro, PVTES, Interdum lego sic.

SI ALITER QVIPPIAM COACTI FACIANT QVAM LIBERI, pro, QVAM LIBERE. Et hoc probo.

REGVM AVTEM) Malo, REGVM ENIM.

PRÆTER ROGITATVM SI QVERARE) De mendo suspicor, vel potius vereor. Lamb. SI LOQVARE. pro, SI QVERARE.

LEGERE ET SPECTARE.) LEGERE in scriptis comœdiis, vel potius Tragœdiis. SPECTARE, in iis ipsis dum aguntur.

ET EFFVGERE.) Mallem simpliciter, ET FVGERE. Sed pronunciationis vitium in scripturam irrepsit.

ORATIO.

XVIIII. CICERO.

AT ex hoc ipso crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Posthumus cogeret ex decumis imperatorum, pecuniam sibi coëgisse. Non intelligo, hoc quale sit, vtrum accessionem decumæ, vt nostri facere coactores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit. Si accessionem: vndecim millia talentûm ad Gabinium peruenerunt. At non modò abs te decem millia obiecta sunt, sed etiã ab his æstimata. Addo illud etiam: quî tandem cõuenit, aut tam graui onere tributorum ad tantam pecuniam cogendã mille talentûm accessionem esse factam: aut in tanta mercede hominis, vt vis, auarissimi, mille talentûm decessionem esse concessam? neque enim fuit Gabinii, remittere tantum de suo: nec

nec Regis, imponere tantum pati suis. Aderunt testes Legati Alexandrini. Hi nihil in Gabinium dixerunt: immo hi Gabinium laudauerunt. Vbi ergo ille mos? vbi cōsuetudo iudiciorum? vbi exempla? solétne is dicere in eum, qui pecuniam redegit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit? Age, si is, qui non dixit, solet: etiámne is solet, qui laudauit? iisdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præiudicata res ad has causas deferri solet.

NOTAE.

DVM GABINIO PECVNIAM POSTVMVS COGERET EX DECVMIS IMPERATORVM, PECVNIAM SIBI COEGISSE) Videndum. Interdum existimem vtrumq; illud, PECVNIAM, bis positū, vtrobiq; abundare. Semel ibi. Dum Gabinio pecuniā Postumus cogeret. Et iterum. Pecuniam sibi coëgisse. Nam si coactores absolutè dicuntur collectores pecuniæ, vt mox loquitur idem orator, dū dicit. Vt nostrî coactores, inquit, facere solent: cur non absolutè dicatur, cogere, pro, pecuniā colligere? Quod si non in vtroq; loco, in altero certè quidem abundabit, sic. DVM GABINIO PECVNIAM POSTVMVS COGERET EX DECVMIS IMPERATORVM, SIBI COEGISSE. Nisi fortè legas sic. EX DECVMIS IMPERATARVM PECVNIARVM, SIBI COEGISSE. Alioqui, vt hic abundat vox, PECVNIÆ, ad vocem, COGERE, ita mox, ad vocem, PECVNIAE, abundat vox, COGENDI. Mox dicam. Turnebus hoc loco, decumas imperatorum, interpretatur, decumas pecuniæ imperatæ à Rege Ptolomæo ad vsum Gabinii. Quod si est, legerem ferè, vel, EX DECVMIS IMPERATIS: vel, EX PATRIC.

DECVMIS IMPERATI AERIS. Lambinus. & nobiscũ facit in priore coniectura: & Turnebum legisse videtur. Manutius non legisse. Neq; enim potest intelligere, quæ sint decumæ imperatorum. Quare legit etiam ferè, ARATORVM.

VT NOSTRI FACERE COACTORES SOLENT) Quid si absit, FACERE.

CENTESIMA) Addita scilicet centesima ad decimam, seu ad decem millia talentûm, vt fiant vndecim millia.

DE SVMMA) de decem millibus.

ABS TE DECEM MILLIA) Sola decem millia.

AB HIS) A iudicibus.

TAM GRAVI ONERE TRIBVTORVM AD TANTAM PECVNIAM COGENDAM) COGENDAM, abesse potest. Dixi. Quid si etiam totum illud, AD TANTAM PECVNIAM COGENDAM, eodem modo absit? & pro, ONERE, ONERI, legatur sic. TAM GRAVI ONERI TRIBVTORVM, MILLE TALENTVM ACCESSIONEM ESSE FACTAM) Quid si etiam nullis emaculatis legatur sic. TAM GRAVI ONERI TRIBVTORVM, TANTA PECVNIA COGENDA, MILLE TALENTVM &c. Vt illud, TANTA PECVNIA COGENDA, sit expositio illius tam grauis oneris.

IN TANTA MERCEDE) Fortè, DE TANTA MERCEDE. Sic modò. Decessionem de summa fecerit.

HOMINIS AVARISSIMI) Gabinii. Vt mox dicit.

REMITTERE TANTVM) Mille talenta scilicet.

IMPONERE TANTVM PATI SVIS) PATI, abundat fortassis. Quanquam ne abundat fortassis quidem. Significatur enim regem ipsum non passurum fuisse tantum imponere suis. Manutius miro quodam modo exponit, imponere pati: quasi tu dicas, imponere vt patiantur. Nimirum illud, Tantum pati, pro nominatiuo accipere videtur.

ADERVNT TESTES) Fortè, ADERANT.

SOLETNE IS DICERE IN EVM QVI PECVNIAM REDEGIT, QVI IN ILLVM CVIVS NOMINE EA PECVNIA REDIGERETVR, NON DIXERIT?) Expono. Is qui pecuniam dicit aliquem redegisse, nonne dicit etiam, cuius nomine redacta esset? Et contrà, is qui

non

non dixit, cuius nomine pecunia redigeretur, soletne dicere in eum, qui pecuniam redegit?

ETIAMNE IS SOLET QVI LAVDAVIT) q. d. Multo minus. Sensus. Non solet, inquit, quisquam hominum in eum dicere qui pecuniam redegit, nisi simul in eum dicat, cuius nomine redacta ea esset. Multo igitur minus ille solet dicere, qui in eum non tantum non dixit, sed eum etiam laudauit. Turnebus hoc loco tollit punctum interrogationis: & mox, pro, DEFERRI, ADFERRI, legit. AD HAS CAVSAS ADFERRI SOLET, pro, DEFERRI.

DICTIS TESTIVM RECITATIS) Scribo, DICTIS tm̃ RECITATIS. Hoc est, dictis tantùm recitatis. Non productis, inquit, testibus, sed dictis tantùm eorum recitatis.

ORATIO.

ET ait etiam meus familiaris & necessarius eandem causam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium quæ mihi fuerit, cur eundem defenderẽ. Mihi C. Memmi causa defendẽdi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ. Neque me verò pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Nam si me inuitum putas, ne Cn. Pompeii animum offenderem, defendisse: causam, & illum, & me vehementer ignoras. Neque enim Pompeius me sua causa quicquam facere voluisset inuitum: neque ego, cui omnium ciuium libertas charissima fuisset, meam proiecissem. Quandiu inimicissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi non Pompeius XX. CICERO.

 fuit

fuit: nec, posteaquam illius auctoritate eam dedi veniam quam debui, quicquam simulaui, ne cùm mea perfidia illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem, iniuriam. Nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompeium. Si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem.

NOTAE.

PATRIC. MEVS FAMILIARIS ET NECESSARIVS) Quis? nisi is quem statim compellat respondendo. Mihi, inquit, C. Memmi &c.

RECONCILIATIO GRATIAE) Vide fragmentum eius orationis, quæ est pro Gabinio, in libro fragmentorum nostrorum. quod recitaui suprà n° 12.

MORTALES INIMICITIAS, SEMPITERNAS AMICITIAS) Vide Ciceronem eundem in libro de Amicit. n° 54. & Liuium lib. 40.

NE CN. POMPEII ANIMVM OFFENDEREM) Videndum. an Tullianum sit.

DEFENDISSE: CAVSAM ET ILLVM ET ME VEHEMENTER IGNORAS) Primùm distinguo, DEFENDISSE CAVSAM. Deinde subiungo id quod sequitur. ET ILLVM, ET ME, VEHEMENTER IGNORAS. ILLVM, autẽ intelligo Pompeium. Vtrumque liquet ex ratione huius propositionis subsequente. Nam cùm dicit. NEQVE ENIM POMPEIVS, reddit rationẽ eius quod dixit, ILLVM IGNORAS. Cùm dicit. NEQVE EGO, eius quod dixit, ME IGNORAS, Dixit autem, ME IGNORAS, ad imitationem Terentii Heaut. Me ignoras Clinia. Vulgata distinctio, CAVSAM, ILLVM, ME, ferri non potest. Neque enim in ratione subsequenti, aliquid de causa adiungitur, sed de se tantum orator

orator loquitur, & de Pompeio. Lambini igitur editionem non audio, quæ ad causam, addit, &c. ET CAVSAM. Manutii etiam interpretationem expendendam esse censeo.

NON AMICISSIMVS MIHI NON POMPEIVS FVIT) Mallem. NON AMICISSIMVS MIHI POMPEIVS NON FVIT.

ILLIVS AVCTORITATE EAM DEDI VENIAM) Jemum kwoli odpuścił. Jemum kwoli mimo sye puścił.

NE CVM MEA PERFIDIA ILLI ETIAM IPSI FACEREM, CVI BENEFICIVM DEDISSEM, INIVRIAM) Ne illi ipsi facerem iniuriam, cui beneficium dedissem, idq; cum mea etiam perfidia. Hoc est. ne simul & perfidus ipse essem, & in alium iniurius, in eum autẽ præsertim, quem aliquo beneficio affecissem. Atq; hoc est, quod dicit in ea pro Gabinio in fine fragmenti, sic. Post reditum in gratiam si quid est ommissum prætermittendo officio, non imprudentiæ sed perfidiæ asignari solet.

ILLI IPSI CVI BENEFICIVM DEDISSEM) Ex eo quod sequitur, patet de Pompeio, id quod nunc dicitur, intelligendum esse. De quo, vt modò dixit, se eius auctoritate dedisse veniam, hoc autem est, inimico offensam condonasse, ita hoc loco dicit, se ei beneficium dedisse, hoc est, vt ego interpretor, in gratiam ipsius id quod fecit, fecisse. Notat etiam aliquid eiusmodi Manutius.

ILLVM QVOQVE FEFELLISSEM) Pompeium scilicet, per quem sum reductus in gratiam.

ORATIO.

At de me omittamus: ad Alexandrinos istos revertamur. Quod habent os? quam audaciam? modò vobis inspectantibus in iudicio Gabinii tertio quoque verbo excitabantur. Negabant pecuniam XXI. CICERO.

 Gabinio

Gabinio datum. Recitabatur identidem Pompeii testimonium, Regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. Non est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum. Quid? postea creditum? non. Quamobrem? quia nunc aiunt, quod tum negabant. Quid ergo? ista conditio est testium, vt quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus? At si verum tum, cùm verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur: si tũc mentiti sunt, doceant nos verum. Quid vultis? sileant.

NOTAE.

PATRIC. TERTIO QVOQ. VERBO EXCITABANTVR) EXCITABANTVR, videndum. Sic tamen infrà nº 29. Possum excitare multos testes. Quid si? CITABANTVR. In Verrem. Testem totam Siciliam citabo.

QVID? POSTEA CREDITVM? NON) Nec placet, CREDITVM: & displicet, NON. Quid ita? quia statim sequitur illud, IISDEM CREDATVR DICENTIBVS. In quo ipso, vtrumque mihi inesse videtur, & tempus videlicet in hoc loco proposito, præsens aut futurum requiri, non præteritũ: & particulam negantem aut abesse, aut in affirmantem transformari oportere. Legerem igitur simpliciter. QVID POSTEA? CREDETVR NE? Et tunc, quasi quis respondisset, credetur: ad eam rem absurdam, quasi ex responsione natam, exclamat. QVAMOBREM? Quid est, inquit, cur credi debeat? Hæc ego olim. Atqui Lambinus aliter. Aliter verbis, sed eadem mecum sententia, quem vide. Aliter etiam Manutius, & tamen nobiscum quoq; sentit. Quærat quis. Ecquam tu, Patrici, ex omnibus emendatio-

dationem probas? Manutii ferè dixerim. Nam omnia satis exprimit, quæ sunt opus, & nihil verborum nec detrahit, nec addit. Sic enim emendat. QVID POSTEA? CREDETVR NVNC. QVAMOBREM? Atq; adeò τό, NVNC, perplacet. Sic enim statim. Nunc aiunt, quod tum negabant.

QVID ERGO? ISTA CONDITIO EST TESTIVM) Mallem. QVAE ERGO ISTA CONDITIO EST TESTIVM?

AT SI VERVM TVM, CVM VERISSIMA FRONTE DIXERVNT, NVNC MENTIVNTVR: SI TVNC MENTITI SVNT, DOCEANT NOS VERVM. QVID VVLTIS? SILEANT) Legerē. AT SI VERVM TVM, CVM VERISSIMA FRONTE DIXERVNT, NVNC MENTIVNTVR, SIN TVNC MENTITI SVNT, DICENTNE VERVM, CVM VVLTVS SIMVLENT? Sensus planissimus. Si antea verum, cum verissima fronte dixerunt, nunc profectò cum fronte non verissima, mentiuntur. Si autem tunc mentiti sunt, cùm verissimam frontem præseferrent, quomodo verum dicent, cùm vultum simulent? Vel, VVLTV SIMVLENT. Nam in illo, CVM VERISSIMA FRONTE, τό, CVM, præpositionem esse puto, non aduerbium: vt est in meo scriptum, & accentu graui notatum. Eos autem ipsorum vultus fictos & simulatos videre, statim ostendit se esse cupidissimum, dum inquit, Nec mihi longius quicquam est iudices, quàm videre hominum (subaudi, istorum) vultus. Lambinus hæc emendans, longius discedere videtur. Manutius vlcus non attingit.

ORATIO.

Dicere audiebamus Alexandriam, nunc cognoscimus: illinc omnes præstigiæ, illinc, inquam, omnes fallaciæ, omnia denique ab his nummorum argumenta nata sunt. Nec mihi longius quicquam XXII. CICERO.

est Iu-

eſt Iudices, quàm videre hominum vultus. Dixerunt hîc modò nobiſcum ad hæc ſubſellia, quibus ſuperciliis renuentes huic decem millium crimini? iam noſtis inſulſitatem Græcorum. Humeris geſtũ agebant. Tum temporis credo cauſa, nunc ſcilicet tempus nullũ eſt. Vbi ſemel quis peierauerit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos iuret, non oportet: præſertim Iudices, cùm in his iudiciis ne locus quidem nouo teſti ſoleat eſſe: ob eamqúe cauſam iidem iudices retineantur, qui fuerint de reo, vt his nota ſint omnia, neque quid fingi noui poßit. Lites, quò ea pecunia peruenerit, non ſuis propriis iudiciis, ſed in reum factis condemnari ſolent.

NOTAE.

PATRIC. DICERE AVDIEBAMVS NVNC COGNOSCIMVS) Vide in ea in Piſonem n° 28. Ex vobis audio. Hoc certè video. Vide etiam loco quo ſuprà interpretantem Turnebum.

NVMMORVM ARGVMENTA) Non ſatis intelligo. Si fas ſit, legerem ferè, CAPTIONVM ARGVMENTA: vel, TALIVM RERVM ARGVMENTA. Sed ſi hoc legere fas non eſt, aliquid tamen aliud quærere fas eſt. Nam & Turnebus non videtur probare, NVMMORVM, & pro eo legit, MIMORVM ARGVMENTA. Quod ipſum probat mirificè Lambinus. Manutius tamen, numorum argumenta, interpretatur. Ego ἐπέχω.

HOMINVM VVLTVS) ſimulatos illos ſcilicet, vt nos legendum eſſe ducimus.

IAM NOSTIS INSVLSITATEM GRAECORVM.

RVM. HVMERIS GESTVM AGEBANT. TVM TEMPORIS CREDO CAVSA. NVNC SCILICET TEMPVS NVLLVM EST) Videndum. Quid ? si. Nec enim diuinationi mulcta vlla verẽda est. IAM NOSTIS INSVLSITATEM, GRAECORVM HVMERIS GESTAM, AGEBANT TVM TEMPORIS, CREDO, CAVSA. Vel, AIEBANT, pro, AGEBANT. Sed hoc vt lubet. Illud quod sequitur. NVNC SCILICET TEMPVS NVLLVM EST. subaudi, vt eius quoq; temporis causa, nunc item vt olim, hoc vel illud possint agere. Illud in animo iudicum intelligendum relinquit. Sed nunc quoque, non minus vt olim, tempus est. Ergo nunc quoque vt olim, hoc vel illud possunt agere, atque adeò falsum testimonium dicere.

VBI SEMEL QVIS PEIERAVERIT, EI CREDI POSTEA, ET SI &c. NON OPORTET) Mendax id damni facit, quòd etiam vera dicens, fidem non acquirit. Vulgo sic aiunt. sed tamen in hac plana ac facili sententia, aliquid à principio abesse, vel potius deesse videtur.

IIDEM IVDICES) non noui: sed qui antea iudicauerunt: &, vt statim dicit, qui olim fuerunt.

QVI FVERVNT DE REO) DE REO, videndum.

NEQVE QVID FINGI NOVI POSSIT) Mallem. NEC ALIQVID FINGI NOVI POSSIT. Vel, NEVE QVID FINGI NOVI POSSIT.

LITES QVO EA PECVNIA PERVENERIT NON SVIS PROPRIIS IVDICIIS SED IN REVM FACTIS CONDEMNARI SOLENT) Videndũ: & quidem inter cætera, vtrum, lites condemnari, dicantur. Mallem ferè. LITE ENIM: vel, LEGE ENIM QVO EA PECVNIA PERVENERIT, NON SVIS PROPRIIS IVDICIIS (vel, INDICIIS, potius) SED IN REVM FACTIS, CONDEMNARI SOLENT, QVI CONDEMNARI SOLENT. Sensus. Hi qui condemnari solent, lite, vel lege illa, quò ea pecunia peruenerit, non iis indiciis hoc autem est testimoniis, quæ propriè in ipsos fiunt, cõdemnantur, sed illis, quæ fiunt in reum ipsum, in eum scilicet, qui lege Iulia repetundarum accusatur, Sed vt semper aliàs, ita hîc quoque nihil pronuncio.

ORATIO.

XXIII.
CICERO. *ITaque si aut prædes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset: quanuis magna ad Posthumum ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur: vt intelligi facile possit, quod ex ea pecunia, ad quem eorum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio planum factum sit, id hoc genere iudicii redigi solere. Nunc verò quid agitur? vbi terrarum sumus? quid tam insolens, tam peruersum præposterúmue dici, aut excogitari potest? accusatur is, qui, non abstulit à Rege, sicut Gabinius iudicatus est: sed qui maximam Regi pecuniam credidit. Ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit. Iam cedo, cùm is, qui pecuniam Posthumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit: condemnato Gabinio, vtrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? At habet, & celat: sunt enim qui ita loquantur. Quod genus tandem est istud ostentationis & gloriæ? si nihil habuisset vnquam, tamen, si quæsisset, cur is dissimularet habere, causa non esset. Qui verò duo lauta & copiosa patrimonia accepisset, rémque præterea bonis & honestis rationibus auxisset: quid esset tandē causæ, cur existimari vellet nihil habere.*

NO-

NOTAE.

QVOD EX EA PECVNIA AD QVEM EORVM QVI DAMNATVS EST PERVENISSE IN ILLO PRIMO IVDICIO PLANVM FACTVM SIT, ID HOC GENERE IVDICII REDIGI SOLERE) Videndum. Suprà quidem n° 5. legitur sic. Iubet lex Iulia persequi ab iis ad quos ea pecunia, quam is cœperit qui damnatus sit peruenerit. Ergo legendum ferè est. QVOD EX EA PECVNIA QVAM IS COEPERIT QVI DAMNATVS EST, AD QVENQVAM PERVENISSE, IN ILLO PRIMO IVDICIO PLANVM FACTVM SIT, ID HOC GENERE IVDICII REDIGI SOLERE. Lābinus ad eundē hunc locum respiciens, sic emendat. QVOD EX EA PECVNIA, QVAM CEPIT IS QVI DAMNATVS EST PERVENISSE I. I. P. I. P. F. S. I. H. G. I. R. S. Atque idē Cuiatio in mentem venisse scribit. In Manutii commentario in hunc locum, deesse etiam quiddam videtur, à librariis omissum in libro quidem editionis Colonieñ: cum sic scribit. Redigi solere) tum scilicet, cum neque is, qui in illo primo iudicio damnatus est, neque ex eius bonis quanta summa litium æstimatarum fuit, populus recepit. Addendum enim esse videtur. Prædes dedisset. Sic. Neque is qui in illo primo iudicio damnatus est, prædes dedisset, neque ex eius bonis &c. PATRIC.

IS GABINIO DEDIT QVI NON HVIC REDDIDIT) IS DEDIT. Ptolemæus. HVIC, Postumo scilicet.

AT HABET) Postumus à Rege pecuniam sibi solutam.

SI NIHIL HABVISSET VNQVAM) in re sua familiari.

SI QVAESISSET) SI ACQVISISSET. Etiam Manutius eodem modo.

QVI VERO DVO LAVTA) Fortè. QVVM VERO.

ORATIO.

XXIIII. CICERO.

AN cùm credebat inductus vsuris, id agebat, vt haberet

haberet quamplurimum? posteaquam exegit quod crediderat, vt existimaretur egere, nouum genus hoc gloriæ concupiscit? Dominatus est enim, inquit, Alexandriæ. Immò verò in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiam: vidit in vinculis familiareis suos: mors ob oculos sæpe versata est: nudus atque egens ad extremum fugit è regno. At permutata aliquando pecunia est: ductæ naues Posthumi Puteolis sunt: auditæ visæqúe merces, fallaces quidem, & fucosæ, chartis, & linteis, & vitro delatæ: quibus cùm multæ naues refertæ fuissent, vna non patuit parua, arctata. Plus ille Puteolanus sermo illius temporis, vectorúmque cursus, atque ostentatio, tum subinuisum apud maleuolos Posthumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam, æstatem vnam complures aures refersit istis sermonibus.

NOTAE.

PATRIC. CVM CREDEBAT) pecuniam. Sensus. Qui credendo pecuniam, id agebat, vt maximè augeret vsuris rem suam familiarem: is si creditam exegisset cum vsuris, idné ageret, vt existimaretur egere?

VT EXISTIMARETVR EGERE) Subaudi. Hoccine agit, vt existimaretur egere.

FVIT IN DOMINATV) quod alioqui diceret aliquis, fuit in seruitutè. Sic enim veteres dicebant. Ades ad imperandum, vt scilicet tibi imperetur.

DVCTAE

DVCTAE NAVES POSTHVMI &c.) Videndum. Lambinus sic legit. ACTAE NAVES &c. Infrà etiam. CELATAE, pro DELATAE, idem legit.

DVCTAE NAVES POSTHVMI PVTEOLIS, SVNT: AVDITAE VISAEQVE MERCES) AVDITAE MERCES, quî fieri potest? Distinguerem. DVCTÆ NAVES POSTVMI, PVTEOLIS SVNT AVDITAE, VISAEQVE MERCES &c. Auditæ sunt, inquit, Puteolis naues quæ ducebantur. Vel distingue. DVCTÆ NAVES POSTVMI PVTEOLIS SVNT AVDITAE VISÆQVE: MERCES FALLACES QVIDEM ET FVCOSAE &c. Turnebus vt nos prius. Lambinus, ACTAE NAVES POSTHVMI.

VNA NON PATVIT PARVA ARCTATA) Videndum. Si nihil mutandum est, expono. Merces, inquit, cæteræ visæ sunt, vna autem merx visa non est, (hoc enim est, non patuit) quæ erat, inquit, arctata, id est, in arctum redacta, & arctè imposita, parua. subaudi, naue. Merx, autem quam dicit non patuisse, pecunia fuit. Vel sic. Quod tamen eodem redit. CAETERAE NAVES VISAE SVNT, VNA NON PATVIT PARVA, (non est visa, scilicet) ARCTATA. Per appositionem scilicet plena & referta. Quid si legas tamen VNA NON PATVIT, PECVNIA ARCTATA. Illa scilicet nauis non patuit, quæ erat pecunia arctata. Turnebus cum Lambino consentiunt. Euge, euge. Manutius etiam, PECVNIA, legere videtur, pro PARVA.

PLVS ILLE PVTEOLANVS) Videndum hoc quoque. Turnebus & Lambinus legere velle videntur ex vet. cod. VNA NON PATVIT PARVA. CATAPLVS ILLE PVTEOLANVS. Ipsos vide. Est autem Cataplus, denauigatio, vt Lambinus interpretatur. Videndum tamen esse existimo. Manutius ferè legit. VNA NON PATVIT PECVNIA ARCTATA. PVBLICVS ILLE PVTEOLANVS SERMO.

AESTATEM VNAM COMPLVRES AVRES REFERSIT ISTIS SERMONIBVS) Videndum Fortè COMPLVRIVM AVRES. Lambinus, AESTATEM VNAM NON PLVRES.

ORATIO.

XXV. CICERO. *Verùm autem Iudices si scire vultis, nisi C. Cæsaris summa in omneis, incredibilis in hunc eadem liberalitas extitisset, nos hunc Posthumum iam pridem in foro non haberemus. Ille onera multorum huius amicorum excepit vnus: quæqúe multi homines necessarii secundis Posthumi rebus descripta sustinuerunt, nunc eius afflictis fortunis vniuersa sustinet. vmbram Equitis Rom. & imaginem videtis Iudices, vnius amici conseruatam auxilio & fide. Nihil huic eripi potest præter hoc simulacrum pristinæ dignitatis, quod Cæsar solus tuetur & sustinet. Quæ quidem in miserrimis rebus huic tamen tribuenda est maxima. Nisi verò hoc mediocri virtute effici potest, vt tantus ille vir, tanti ducat hunc: & afflictum præsertim, & absentem, et in tanta fortuna sua, vt aliena respicere magnum sit: tanta oppugnatione maximarum rerum quas gerit, atque gessit, vt vel obliuisci aliorum non sit mirum, vel, si meminerit, oblitum esse facile possit probare.*

NOTAE.

PATRIC. IN HVNC EADEM LIBERALITAS) Quid si, IN HVNC

HVNC EVNDEM LIBERALITAS. Eſt autem, IN HVNC, in Poſtumum. quem ipſum ſtatim nominat.

IN FORO NON HABEREMVS) Infrà nº30. In hoc foro veſtigium ſibi facere liceat, quod ipſum fortuna eripuerat, niſi vnius amici opes ſubueniſſent.

QVAEQVE MVLTI HOMINES NECESSARII SECVNDIS POSTVMI REBVS DESCRIPTA SVSTINVERVNT, NVNC EIVS AFFLICTIS FORTVNIS VNIVERSA SVSTINET) Mallem ferè QVAEQVE MVLTI HOMINES, EIVS NECESSARII, SECVNDIS POSTVMI REBVS DESCRIPTA SVSTINVERVNT, NVNC EIVS AFFLICTIS FORTVNIS, VNVS VNIVERSA SVSTINET. Vel ſic. QVAEQ. MVLTI, HOMINIS NECESSARII, (vt ſit, HOMINIS, genitiuus ſingularis, NECESSARII, nominatiuus pluralis. HOMINIS, autem intelligerē, Poſtumi) SECVNDIS POSTVMI REBVS DESCRIPTA SVSTINVERVNT, NVNC IS (IS, autem intelligerem, Cæſar) EIVS AFFLICTIS FORTVNIS VNIVERSA SVSTINET. Vel, NVNC VNVS, AFFLICTIS FORTVNIS VNIVERSA SVSTINET. Sic ſtatim. Vnius amici conſeruatum auxilio. Et mox. Quod Cæſar ſolus tuetur ac ſuſtinet. DESCRIPTA, autem intelligo, diſtributa, vt opponatur ei quod ſequitur, VNIVERSA. Quæ, inquit, ſeparatim hic vel ille tuebatur, ea nunc omnia ſolus Cæſar tuetur. Eiuſmodi ſanè deſcripti ſignificatio, in illo expreſſa extat, quod eſt in ea in Catilinam. Vrbem, quemadmodum deſcriptum diſtributumq́; erat, incenderent. Et Q. in de pet. conſul. Fac vt planè deſcriptum ac diſpoſitum ſuum cuiq; munus ſit.

VMBRAM EQV. ROM.) Id eſt non Equitem ipſum, ſed vmbram Equitis.

QVAE QVIDEM IN MISER) Videndum. Quid videndum? Videndum, ne fortaſsis non integra ſint omnia. Satin' autem, ſi interpretere? QVAE QVIDEM, ſubaudi, dignitas, Quod quidem abeſt longius. Sed fac ſic. Præter hoc, quod Cæſar ſolus tuetur ac ſuſtinet, ſimulacrum priſtinæ dignitatis. Propius profectò aberit id quod ſubaudiendū arbitramur. QVAE QVIDEM. Subaudi, dignitas. Etiam Manutius τὸ, QVAE, ad dignitatem refert.

NISI

NISI VERO HOC MEDIOCRI) Senſus eſt. Maxima dignitas Poſtumo debetur, quia non mediocrem virtutem ipſius eſſe oportet, qua ſibi Cæſarem conciliauerit. Sibi, inquam, abſenti & afflicto. Cæſarem, autem virum tantum, & in tanta fortuna, & tantis negociis inuolutum.

TANTA FORTVNA SVA, VT ALIENA RESPICERE MAGNVM SIT) Etſi contextus non peſsimè habeat, tamen videndum, ne verius legatur, VT ALIENAM RESPICERE. Opponuntur enim ferè, ſua fortuna, & aliena fortuna.

TANTA OPPVGNATIONE MAXIMARVM RERVM) Legerem, OCCVPATIONE. Et ita quidem Lambinus, ex ſententia doctorum, cum neque ille meam emendationem vnquam viderit, neque illius ego, niſi nunc demum tanto pòſt, vbi illam cum mea congruere animaduerti.

OBLITVM ESSE FACILE POSSIT PROBARE) Expreſsius. OBLITVM ESSE SE FACILE POSSIT PROBARE.

ORATIO.

XXVI. CICERO. *MVltas equidem C. Cæſaris virtutes, magnas, incredibileſque cognoui: ſed ſunt cæteræ maioribus quaſi theatris propoſitæ, & penè populares: caſtris locum capere, exercitum inſtruere, expugnare vrbes, aciem hoſtium profligare, hanc vim frigorum hyememque, quam nos vix huius vrbis tectis ſuſtinemus, excipere, his ipſis diebus hoſtem perſequi, tum, cùm etiam feræ latibulis ſe tegant, atque omnia bella iure gentium conquieſcant. Sunt ea quidem magna: quis negat? ſed magnis excitata ſunt*

præmiis

præmiis ad memoriam hominum sempiternam. Quo minus admirandum est, cum facere illa, qui immortalitatem concupiuerit. Hæc mira laus est, quæ non poëtarum carminibus, non annalium monimentis celebratur, sed prudentiũ iudicio expenditur. Equitem R. veterem amicum suum, studiosum, amantem, obseruantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque iacturis, sed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non siuit, fulsit & sustinuit re, fortuna, fide, hodieque sustinet, nec amicum pendentem corruere patitur, nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.

NOTAE.

ET PENE POPVLARES) Legerem, si videretur. HÆC PENE POPVLARIS. Finita periodo. Quale est illud alterum, incipiens periodum paulò inferius. Sic. Hæc mira laus est. Dicit autem, HAEC PENE POPVLARIS. Vt illis quidem virtutibus maiorum theatrorum, de quibus modò locutus est, hãc quasi popularem opponat, & vtrasque in contentionem veluti quandam deducat. Popularia enim non videntur esse maioribus, vt hic loquitur, theatris proposita, sed potius opposita. Sicut sæpe alibi, populare grauitati, & cæteris eiusmodi rebus opponitur. Dicit autem, HAEC, virtutem illam indicans, quam modò designauit, cùm dixit, vniuersas fortunas Postumi, afflicti hominis & absentis, ab vno Cæsare, in tanta maximarum rerum occupa- PATRIC.

tione peramanter sustineri. Hanc igitur virtutem indicat. Quam e-tiã ipsam paulo pòst describet, ab illo loco. Hæc mira laus est &c. Quæquidem virtus, vt dicam breuiter, humanitatis tota est, &, vt ipse statim appellabit, liberalitatis in suos, & omninò bonitatis.

CASTRIS LOCVM CAPERE) CASTRIS, maiori littera scribendum in principio dictionis. Incipit enim vtrasque virtutes exponere, & inter se conferre.

EXPVGNARE VRBES ACIEM HOSTIVM PROFLIGARE) HOSTIVM, vel emaculandũ putarẽ. Quæ enim alia acies, nisi hostium, profligatur? Vel, si non emaculandũ, certè ibi reponendũ. EXPVGNARE VRBES HOSTIVM.

HANC VIM FRIGORVM HYEMEMQVE) Quid si, HYEMISQVE, vel, HYEMIVMQVE.

HIS IPSIS DIEBVS) hyemis scilicet & frigorum. Atq; tunc quidem videtur vacare illud, TVM. Tum cum etiam feræ.

LATIBVLIS SE TEGANT) Mallem, TEGVNT. Sic mox, conquiescunt.

SVNT EA QVIDEM MAGNA) SVNT, minore littera inchoandum. Referendumq; ad ea, quæ præcesserunt.

SED MAGNIS EXCITATA SVNT PRAEMIIS) Desidero alicubi, QVOQVE, vel, ETIAM. Et quoniam τὸ, SVNT, præcessit paulò antè, auderem propemodum illud hinc tollere, & in, ETIAM, commutare. Sic, SED MAGNIS EXCITATA ETIAM PRAEMIIS, vt subaudiatur, vel potius ἀπὸ κοινοῦ repetatur, SVNT. Vel sic. SED MAGNIS EXCITANTVR ETIAM PRAEMIIS.

HAEC MIRA LAVS EST) Cæsaris scilicet. Interpretor autem primùm secundum vulgatam lectionem: tum deinde ad lectionem à me constituendã deueniam. Non est, inquit, admirandum, si Cæsar incensus amore immortalitatis, eas virtutes sequitur, quæ magnæ sunt illæ quidem & populares, verùm etiam magna præmia habent proposita ad nominis immortalitatem: vt, castris locum capere &c. Illa non tam popularis quàm mira quædam Cæsaris laus est, quòd equitem R. veterem amicum suum corruere non patitur, in tantis difficultatibus fortunarum ipsius. Hæc ad vulgatam lectionem. Ad nostram quod attinet, cætera eodem ferè modo. Reliqua sic. Aliæ quidem virtutes Cæsaris, inquit, magnæ sunt, & maioribus theatris dignissimæ, sed vt ma-

gnæ ſunt, ita maioribus etiam eliciuntur præmiis. Hæc laus, de qua loquor, quòd Cæſar Poſtumum afflictum non deſerat, eſt illa quidem in Cæſare, vt modò dixi, popularis, ſed hoc ipſo admirabilis eſt, quòd neque poëtarum carminibus, nec annalium monimentis inuitata, ſingulari tamen bonorum & prudentium virorum iudicio colitur & affectatur. Quæ laus, inquies? Quòd videlicet Equ. Rom. à fortuna afflictum cadere non ſinit. Pro, MIRA, autem quid ſi legas, VERA, vel, RARA?

EXPERIENTIA PATRIMONII AMPLIFICANDI) i. dum Vult, & dum conatur ac experitur patrimonium augere. videndum tamen illud, EXPERIENTIA.

NEC ILLIVS ANIMI ACIEM PERSTRINGIT SPLENDOR SVI NOMINIS) PRAESTINGVIT, legendum eſſe, & ſcribendum, alii docuerunt Hic hoc dicit. Non ideo Cæſar minus intuetur afflictas amicorũ res, quòd ſplendor ille maximus ſui nominis, præſtinguat aciem eius animi. Vt vtrũq; illud, &, ILLIVS ANIMI, &, SVI NOMINIS, de eodem Cæſare ſit dictum. Quid tamen ſi, SPLENDORE, pro, SPLENDOR. Hoc ſenſu. Cæſar non præſtinguit aciem mentis Rabirii, ſplendore ſui nominis. Sic mox, pro, OFFICIT ALTITVDO, legendum eſſet, OFFICIT ALTITVDINE, Sed malo, vt prius,

ORATIO.

XXVII. CICERO.

SInt ſanè illa magna, quæ re vera magna ſunt: de iudicio animi mei, vt volet, quiſque ſentiat: ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna liberalitatem in ſuos, memoriam amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quamquidẽ vos Iudices in nouo genere bonitatem inuſitatam claris ac præpotentibus viris non modò non aſpernari ac refutare, ſed

re, sed complecti etiam, & augere debetis: & eò magis, quòd videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandum illius dignitatem: ex qua illi nihil detrahi potest, quod non aut fortiter ferat, aut facile restituat. Amicissimum hominem si honestate spoliatum audierit, nec sine magno dolore feret, nec id amiserit, quod posse speret recuperari.

NOTAE.

PATRIC. SINT SANE ILLA MAGNA) In ea pro Marcello n° 3.

EGO ENIM HANC IN TANTIS OPIBVS) Malo. EGO TAMEN HANC. Vel, EGO OMNINO HANC. Alii, inquit, de me sentiant quidquid velint, Ego omninò ita censeo &c.

IN NOVO GENÈRE) Videndum. Exponerē tamen. IN NOVO GENERE, quia insitatam claris ac præpotentibus viris. Fortè autem reponendum aliquid eiusmodi, quale est, IN NOBILIVM GENERE, vel, IN HOC GENERE vel, IN EO GENERE. Quid verò etiam si totum legas sic, aut ad talem aliquem modum. Quamquidem vos Iudices in hoc genere bonitatem inusitatam, in claris ac præpotentibus viris n. m. n. a. a. r. sed complecti etiam & augere debetis.

HOS QVASI SVMPTOS DIES) Videndum. Quamquam interim ferri potest. HOS DIES, enim, mea sententia, intelligit dies iudicii Rabiriani.

AD LABEFACTANDVM ILLIVS DIGNItatē) ILLIVS, Cæsaris: idq; nō in persona sua, sed in persona Rabirii.

NEC SINE MAGNO DOLORE FERET, NEC ID AMISERIT, QVOD &c.) Singulis reddit singula. Cætera, inquit, aduersa Cæsar aut fert, aut recuperat, quæ illi in ipsius persona eueniunt. Quod in Postumi, hominis amiciss. persona acciderit, id verò nec sine dolore feret, nec facile recuperabit.

ORA-

ORATIO.

XXVIII. CICERO.

SAtis multa hominibus non iniquis hæc esse debent, nimis etiam multa vobis, quos æquissimos esse confidimus. Sed vt omnium vel suspitioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati satisfiat, occultat pecuniam Posthumus, latent regiæ diuitiæ. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Posthumi nummo sestertio sibi addici velit? Sed miserum me, quanto hæc dixi cum dolore! hem Posthume, túne es Curii filius, C. Rabirii iudicio, & voluntate filius, natura sororis filius? túne ille in omneis tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit, qui nihil profudisti, nihil vllam in libidinem contulisti? tua Posthume nummo sestertio à me addicuntur? O meum miserum acerbúmque præconium. At hoc etiam optat miser, vt condemnetur à vobis: ita bona veneant, vt solidum suum cuique soluatur: nihil iam aliud nisi fidem curat: nec vos huic, si iam obliuisci vestræ mansuetudinis volueritis, quicquam præterea potestis eripere. Quod Iudices ne faciatis, oro obtestórque vos, atque eò magis, si aduentitia pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur. Nam in eum, cui misericordia opitulari debeat, inuidia quæsita est.

NOTAE.

PATRIC. HAEC ESSE DEBENT) HAEC. An quæ, siue Cæsar, siue Postumus patiuntur: an quæ nos hactenus diximus. Hoc potius. Id ita esse, ostendunt quæ sequuntur.

OCCVLTAT PECVNIAM) Videtur esse noua quædam obiectio, ex eo tamen pendens, vel certè eodẽ vergens, quod suprà dixerat n° 23. At habet, & celat.

LATENT REGIAE DIVITIAE) apud Postumum scilicet. Per concessionem rhetoricam. Alioqui videndum. Quid si hoc totum aliunde exciderit. OCCVLTAT PECVNIAM POSTVMVS, LATENT REGIAE DIVITIÆ.

ECQVIS EST EX TANTO POPVLO) Hæc à Cicerone quasi in auctione per præconem pronunciantur. Sic mox. Tua Postume numo sestertio à me addicuntur. Et statim. O meum miserum acerbúmque præconium.

NVMMO SESTERTIO) quæ erat summa perexigua.

SED MISERVM ME) Videndum quiddam etiã hic. Corrigit se certè orator, sermonem interrumpens doloris plenissimũ.

C. RABIRII IVDICIO ET VOLVNTATE FILIVS, NATVRA SORORIS FILIVS) Terentius Adelphis. Natura tu illi pater es, consiliis ego.

TVA POSTHVME NVMMO SESTERTIO) Mallem. TVA POSTVME OMNIA SESTERTIO.

OPITVLARI DEBEAT) Fortè, DEBEBAT.

ORATIO.

XXIX.
CICERO. *SEd iam quoniam, vt spero, fidem, quam potui, tibi præstiti Posthume, reddam etiam lachrymas quas debeo. Quas quidẽ ego tuas in meo casu plurimas vidi. Versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cùm tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti*

tulisti. Tu comitibus, tu præsidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti. Tu nunquam meis me absente liberis, nunquam coniugi meæ defuisti. Possum excitare multos reductos testes liberalitatis tuæ: quod sæpe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumẽto in iudicio capitis fuisse. Sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiam reformido. Iam indicat tot hominum fletus, quàm sis charus tuis: & me dolor debilitat, includitq. vocem.

NOTAE.

DISCESSVM ILLVM) Subaudi, meum.

POSSVM EXCITARE MVLTOS REDVCTOS TESTES) Videndum de, excitare, id quod suprà diximus n° 21. Cætera fortè, PRODVCTOS, pro, REDVCTOS. Sic suprà n° 19. Iisdem testibus, & quidem non productis. Sed hoc nihil est, non minus, quàm, CONDVCTOS. Aliud quærendum, quod conueniat cum, excitare. POSSVM EXCITARE MVLTOS REDVCTOS. Sic enim hoc coniungerem, & subiũcto comate adderem deinde, TESTES LIBERALITATIS TVAE. Deinde quærendum etiam, cui conueniat illud, quod sequitur statim. Quod sœpe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumento in iudicio capitis fuisse. Subiiciat aliquis legendum, REDIVIVOS, pro, REDVCTOS. Quod quidem alii iudicent. Ego magnopere probare non audeo, conuenire quidem cum verbo, excitare, video. Sic enim alibi loquitur idem, Dicendo aliquem excitare à morte, excitare ab inferis, excitare ab Acheronte. Iam illud quoque, POSSVM EXCITARE, commutarem in, POSSEM EXCITARE, Sequitur enim PATRIC.

nim. Sed omnia timeo. Manutius interpretatur reductos, absentes, quorũ alius alibi sua negocia curet. Aliquid certè inuestigandũ est, quod conueniat & excitandi verbo, & paterno Postumi exemplo.

ET ME DOLOR DEBILITAT INCLVDITQVE VOCEM) Quid si. ET MI DOLOR DEBILITAT INCLVDITQVE VOCEM. Vt, sibi vocem & debilitari, & intercludi dicat dolore.

ORATIO.

XXX. CICERO. *VOS obsecro Iudices, vt huic optimo viro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen Equitis Ro. & vsuram huius lucis, & vestrum conspectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, nisi vt rectis oculis hanc vrbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi vnius amici opes subuenissent.*

NOTAE.

PATRIC. VT RECTIS OCVLIS) Fingere aliquid possem, quod ad eius sermonis intelligentiam pertinere videatur. Ante omnia tamen videndum esse censeo, an bene contextus habeat. Manutius optimè interpretari videtur. RECTIS, videlicet, non auersis. vt præsens scilicet potius aspiciat vrbem rectis oculis, quàm absens respiciat, retortis.

IN FORO VESTIGIVM FACERE) Suprà n° 25. Nisi Cæsaris in hunc liberalitas extitisset, nos hunc Postumium iampridem in foro non haberemus.

QVOD IPSVM FORTVNA ERIPVERAT) Fortè. QVOD IPSI.

FINIS.

PATRICII NIDECICI IN ORATIONEM M. TVLLII CICERONIS PRO M. MARCELLO

Notæ:

ORATIO.



IVTurni silentii P. C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: idémque initium quæ vellem, quæq; sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditámque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam deniq; incredibilem sapientiam ac penè diuinam tacitus præterire nullo modo possum. M. enim Marcello vobis P. C. Reíque pub. reddito, non solùm illius, sed meam etiam vocem, & auctoritatem & I. CICERO.

 vobis,

vobis, & Reip. conseruatam ac restitutam puto. Dolebam enim P. C. ac vehementer angebar, cùm viderem virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna. Nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in vestro veteri curriculo, illo æmulo atq; imitatore studiorum ac laborum meorũ quasi quodã socio à me & comite distracto. Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni Rep. sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maximè in meipso, sed paulò antè in omnibus, cùm M. Marcellum Senatui populóq. R. & Reip. concessisti, commemoratis præsertim etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatémque Reip. tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis antè actæ vitæ hodierno die maximum cepit, cum summo consensu Senatus, tum præterea iudicio tuo grauissimo, & maximo. Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cùm in accepto tanta sit gloria.

NOTAE.

PATRIC. QVO ERAM HIS TEMPORIBVS VSVS.] Leue est quod

quod dicam, sed quia venit in mentem, dicam tamen. Cur, VSVS ERAM, potius quàm, VTEBAR? Vt statim, Dolebam, angebar, poteram, ducebam &c. Nisi si fortè ista aut idem sunt, aut parum admodum differunt, vtebar, & vsus eram. Certè, si presissime hæc vtraq; accipiamus, dicemus, cùm loquitur, dolebam, angebar, significare se etiamnū id agere aliqua ex parte, quod tunc agebat, & dolere videlicet & angi &c. Cùm autem ait. Vsus eram, significare se id iam facere destitisse, nec amplius silentio illo vti, cui, vt ipse inquit, dies iam ille finem attulisset. Verùm nos hæc aliis expedienda relinquamus.

NON TIMORE ALIQVO) Hæc depellendæ à Cæs. inuidiæ gratia dicuntur, ne illi tyrannidem adscribere videatur. Infra n° 11. Non enim tua vlla culpa est, si te aliqui timuerunt, contràque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

PARTIM DOLORE) Vel amicorum multorum, vel dignitatis veteris amissæ.

VERECVNDIA) qui consilium meum videbam esse euentu ipso refutatum.

VOCEM ET AVCTORITATEM) Vocem, verbo dicenda sententia: auctoritatem, faciendo S. C. per discessionem: & omninò ad id, quod à se, vel ab aliis dictum esset, opinione aliqua aut prudentiæ, aut integritatis, aut dignitatis ipsius, animos hominum impellendo.

CONSERVATAM AC RESTITVTAM) Quid si deleas, A C, Et exponas. Cùm Marcellum Cæsar vobis & R. P. reddiderit, existimo vnà cum eo, & ipsius, & meam, vocem pariter & auctoritatem, quæ hactenus ab vtrisque nobis tacitò, tum vobis, tum R. P. conseruabatur, esse restitutam. Sed bene habet. Nam, CONSERVATAM, si erat peritura, RESTITVTVM, si iam perierat, intelligo.

DOLEBAM ENIM) Fortè, DOLEBAM AVTEM, vel aliquid eiusmodi. Modò enim præcessit. ENIM. M. ENIM MARCELLO.

VIRVM TALEM, QVI) Nota, TALEM QVI. Sed intelligendum hoc loco videtur. Cum dicit. virum talem, in verbo, TALEM, insignem ac præstantem, & omninò talem qualis est M. Marcellus designari. Illud autem, QVI, quod sequitur, ad a-

liud iam referri. Nempe ad id, cui ſtatim iungitur. Vt ſit ſenſus. Cùm videbam Marcellum, virum talem ac tantum, non eſſe in eadem mecum fortuna, qui fuiſſet, in eadem cauſa mecum, dolebã. Nimirum notum eſt, eandem particulam, QVI, iungi etiam alibi cum, TANTVS Non longè abiero. Infrà 2. Nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis tantaq; copia, quæ enarrare res tuas geſtas poſſit. Et nº 4. Nulla tanta vis, tanta copia, quæ non frangi poſsit. Nimirum in, QVI, etiam intelligitur, QVANTVS, & QVALIS.

IN EADEM CAVSA) in partibus Pompeii.

IN EADEM ESSE FORTVNA) In qua ſum ego, reip. per te, ô Cæſar, reſtitutus.

NEC MIHI PERSVADERE POTERAM, NEC FAS ESSE DVCEBAM, VERSARI ME) Variè vltimũ hoc membrum prioribus duobus reſpondet. Nam, cum priore quidem iunctum, ſic accipio. Non poteram mihi perſuadere, quòd verſer. Cum poſteriore autem. Non ducebam eſſe fas, vt verſer. Interdum ſubit in mentem, videndum eſſe, an alterum horum abundet. Quod ſi eſt, tum ego quidem poſterius delerem, legerem autem. NEC MIHI PERSVADERE POTERAM VERSARI ME. Quod mihi ſanè quo magis conſidero, hoc etiam diſplicet minus.

IN VESTRO VETERI CVRRICVLO) Senatum & Senatorias deliberationes fortasſis intelligit. Ego tamen legerem NOSTRO libentius, vt ſe & Marcellum ſignificet.

IMITATORE STVDIORVM AC LABORVM.) Ponendum coma, poſt, ſtudiorum. Citat hunc locum Nonius dict. Aemulus & Aemulatio. Equidẽ de eo quod huc pertineat, ſic loquitur Brutus apud noſtrũ, in eo libro, quem inſcripſit de claris oratoribus nº 134. cõuerſo ad ipſum ſermone Tulliũ. De Marcello, inquit, quid cenſes aliud iudicẽ, niſi id quòd habiturus es ſimilem tui. Nam & dicit, & omiſsis cæteris ſtudiis, inquit, vnum id egit, ſeſeq; quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaq; & lectis vtitur verbis & frequentibus, & ſplendore vocis dignitate motus, fit ſpecioſum & illuſtre quod dicitur. omniaq; ſic ſuppetunt, vt ei nullam deeſſe virtutem oratoris putem. Vidi, inquit Mitylenis nuper virum, quem cùm antea tui ſimilem in dicendo viderim, tum verò nunc à doctiſsimo viro, tibiq; vt intellexi amiciſsi-

amicissimo Cratippo, instructum omni copia, multò videbam similiorem.

COMITE A ME DISTRACTO) In diuersam à mea fortuna, fortunam tracto. Hocq; adeò malo quàm legere, ABSTRACTO. Sic in ea pro Ligario n° 3. Belli dissidio distractus â fratribus. Et in ipsa nostri ad eum epistola, quæ extat 4. Famil. 24. Qui non idem consilium quod tu, secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos. Sed ea quidem epistola, etiam ad plerosq; alios huius orationis intelligendos vel illustrandos locos valere potest, si legatur tota. Hoc igitur omnibus censeo esse faciendum.

PRISTINAE VITAE CONSVETVDINEM) hoc est fortassis illud, quod antea appellauit, vetus curriculum.

DE OMNI REP.) i. de omni parte reipub. de omnibus partibus reipub.

MIHI QVIDEM IN MVLTIS ET MAXIME IN MEIPSO, SED PAVLO ANTE IN OMNIBVS) Aliquid videndum. Fortè. MIHI QVIDEM IN MVLTIS, ET MAXIME IN MEIPSO PAVLO ANTE, SED NVNC OMNIBVS. Planum factum est, inquit, mihi quidem in multis, & præsertim paulò antè in meipso, nunc verò planum factum est omnibus, Quomodo, NVNC. Nunc, inquit, cùm Marcellum S. P. Q. R. concessisti. Quid autem planum factum est? illud, te auctoritatem huius ordinis, &c. anteferre. Aliquot scilicet verba suo loco nonnihil moueo, & pro, IN, NVNC, repono. Lambinus in illo, PAVLO ANTE IN OMNIBVS, etiam, IN, delet. Et citat Victorium, eiusdem sententiæ auctorem. Manutius eodem modo quoq;.

COMMEMORATIS PRAESERTIM ETIAM OFFENSIONIBVS) Malim, COMMEMORATIS PRAESERTIM EIVS OFFENSIONIBVS. Sed & pro, COMMEMORATIS, esset fortassis qui legeret libentius, CONDONATIS. vel, CONTEMPERATIS, vel, COMMODERATIS. Sed vulgatum quoq; bonum est. Qui enim offensiones alicui cõmemorando exprobrauit, hoc ipso iam dimidium ferè condonauit. Illud quod dicam, maioris est momẽti. Aliquot periodos istas non optimè collocatas videri, quæ, mea quidem sententia, ita viderentur restituẽdæ. Intellectum est enim, mihi quidem in multis, & maximè in meipso paulò antè, sed nũc

omnibus, cùm M. Marcellum S. P. Q. R. & reip. commemoratis præsertim eius offensionibus, concessisti, te auctoritatem huius ordinis dignitatemq́; R. P. tuis vel doloribus, vel suspicionibus, anteferre. Et ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit, cùm summo consensu Senatus, tũ præterea iudicio tuo grauissimo & maximo. Verè fortunatus, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia peruenerit. Quod ei quidem meritò, atq; optimo iure contigit. quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior? Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cũ in accepto tanta sit gloria. Equidem nullius tantum est flumen ingenii &c

ILLE QVIDEM) Fortè. ET ILLE QVIDEM. Accepto τὸ, ET, ex illo, EST Est verè fortunatus. quod statim sequitur.

SVMMO CONSENSV SENATVS) qui pro eo ad te supplex interposuit partes suas.

QVANTA SIT LAVS) tua scilicet qui dedisti.

TANTA GLORIA) Marcelli scilicet qui accepit.

ORATIO.

II. CICERO. *EST verè fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia peruenerit. Quod ei quidem meritò, atq; optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior? nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua,*

nullam in his esse laudem ampliorem, quàm eam, quam hodierno die consecutus es.

NOTAE.

QVOD EI QV Idem) Salutémne ipsum adeptū esse, an ex salute ipsius lætitia ad omnes peruenisse? vtrūq;, sed posteriꝰ magis. PATRIC.

NVLLIVS TANTVM EST FLVMEN INGENII) NVLLIVS, hominis intelligo: non, ingenii, Malim tamen, vt verum fatear, NVLLVM TANTVM EST FLVMEN INGENII. Sequitur enim. Nulla dicendi aut scribendi tanta vis. Adderem autem, EQVIDEM, vel quid simile ad principium. Equidem nullum tantum. Etiam Manutius notat. Nullius, hominis: non, nullius ingenii.

TANTA VIS TANTAQVE COPIA QVAE) Nota, post, TANTA, non, quanta, sed, QVAE, & mox n° 4. tanta vis tanta copia, quæ. Vide, quæ diximus suprà n° 1.

NVLLAM IN HIS) Expono, rebus gestis tuis.

NVLLAM ESSE AMPLIOREM QVAM EAM QVAM HODIERNO DIE CONSECVTVS ES) Notandum. Quid si totum hoc aliunde illatum esse dicamus. QVAM EAM QVAM HODIERNO DIE CONSECVTVS ES. Nam &, HODIERNO DIE, modò dixit. Fructum hodierno die cepit: & infrà, non hodierno die dicit, sed dicit sic n° 4. Quam es paulo antè adeptus. Et quod caput est, præter illud, quod iam tacitè exagitatum est, AMPLIOREM QVAM, præter hoc, inquam, quid est quæso totū illud, aut quàm auribus suaue, aut quàm Ciceronem redolens? cùm ita dicitur. Quàm eam quam &c. Certè, HODIERNO DIE, est etiam infrà n° 7. Hodierno die teipsum vicisti.

ORATIO.

III. CICERO

SOLeo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris

bris vsurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes externarum gentium, potentissimorúmque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec verò disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quàm tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eásque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant: maximam verò partem quasi suo iure Fortuna sibi vendicat, &, quicquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum.

NOTAE.

PATRIC. SOLEO SOEPE ANTE OCVLOS PONERE, IDQVE LIBENTER CREBRIS VSVRPARE SERMONIBVS) Videndum an bene habeat. Distinguerem. SOLEO,

LEO, SOEPE ANTE OCVLOS PONENS, IDQVE LIBENTER, CREBRIS VSVRPARE SERMONIBVS. Pro, IDQVE LIBENTER, legerem etiam fortaſsis, ATQVE LIBENTER. PONENS, autem pro, PONERE, vt iam dixi.

IDQVE LIBENTER CREBRIS VSVRPARE SERMONIBVS) Fortè, ATQVE LIBENTER, nũc dixi.

NEC DISSIMILITVDINE BELLORVM POSSE CONFERRI) Quid ſi, NEC SIMILITVDINE BELLORVM. Vt ſit ſenſus. Cæterorum regum res geſtæ non poſſunt cum tuis ſic conferri, vt bella illorum bellis tuis ſimilia vlla ex parte eſſe videantur. Niſi fortè hoc dicat, quod ſanè dicit, Diſsimilitudine bellorum nõ poſſe conferri, propterea, quòd Cæſaris bellà, vt multa & varia, ita diſsimilima ſibi ſint, cæterorum vniformia.

ILLVSTRATAE SVNT) Fortè, LVSTRATAE. Nam luſtrare, confert cum, peragrare: quo nunc verbo vſus eſt. Etiam Lambinus. Etiã Manutius. Quid igitur expectas præterea?

SED TAMEN SVNT ALIA MAIORA) In ea pro Rabirio n° 26. & 27. Oſtendit autem hoc loco quod ſuprâ propoſuit, nullam laudem Cæſaris hac eſſe ampliorem.

NE PROPRIA SINT IMPERATORVM) Gloſſema mihi olere videtur, ex illo deſumptum quod ſequitur. TVAM ESSE PROPRIAM FATETVR. Et omninò abſq; eo, bellè ſequitur, ſic. COMMVNICARE CVM MILITIBVS. ET CERTE IN ARMIS, MILITVM VIRTVS, &c. Si quid, mallem omninò ad eum modum. COMMVNICARE CVM MILITIB. ATQVE CVM ALIIS EIVSMODI MVLTIS REBVS. Sic enim multo etiam melius ſequeretur. Et certè in armis militum virtus, l. o. a. ſ. c. c. multum iuuant. Sed, MILITIBVS. &, MVLTIS REBVS, ſcriptori impoſuit.

ORATIO.

AT verò huius gloriæ C. Cæſar, quam es paulò an- IIII. CICERO

lò antè adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum, inquam, est tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in istius societatem gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam, & propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: Sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangíque possit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modò extollere iacentē, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico.

NOTAE.

PATRIC. QVAM ES ADEPTVS) Marcello ignoscendo. Hic autem reuocandū est quod diximus suprà n° 3. in illud, Nullam esse ampliorem

pliorem quàm eam quam hodierno die consecutus es.

NON OFFERT) Mallem, NON INFERT.

NVNQVAM ENIM CVM SAPIENTIA TEMERITAS COMMISCETVR, NEC AD CONSILIVM CASVS ADMITTITVR) Sensus. Fortuna se tuis rebus gestis non immiscet, inquit, quia fortuna ipsa temeritas est, in rebus autem tuis gestis, mera relucet sapientia. Sic ego quidem. Sed tamen interim vereor, vt hoc perinde ac dicam accipiatur. Totum hoc profectò vtrum Ciceronis sit, me quidē non inuito disceptabit, qui volet. Mihi sanè alio loco aptius quadrare videretur.

SED TAMEN EA VICISTI) Fortè. SED TVM EA VICISTI.

EXTOLLERE IACENTEM) Quid si simpliciter, TOLLERE, vel iam, ATTOLLERE. potius quàm, EXTOLLERE.

ORATIO.

ITaq; C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis atq; linguis: neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res nescio quo modo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono. At verò cùm aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, vt eos sæpe, V. CICERO.

 quos

quos nunquam vidimus, diligamus? Te verò, quem præsentem intuemur, cuius mentem sensúsque & os cernimus, vt, quicquid belli fortuna reliquũ Reip. fecerit, id esse saluum velis: quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua beneuolentia complectemur? Parietes mediusfidius C. Cæsar, vt mihi videtur, huius Curiæ tibi gratias agere gestiunt, quòd breui tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus.

NOTAE.

PATRIC. EIVSMODI RES QBSTREPI CLAMORE MILITVM VIDENTVR) Antiquè, pro, obstrepi rebus videtur. Si modò non ita legendum est, vt modò dixi.

SED ETIAM IN FICTIS) In poëmatibus & comœdiis.

SENSVSQVE ET OS CERNIMVS) Quid facit hoc loco, oris aspectus? Aliquid faceret, nisi idem satis superq; dictum iam esset modò. Ibi. Te verò, inquit, quem præsentem intuemur. Nunc nihil planè facit: præsertim cùm non iam in his minutis commorari, sed ad maiora quædã, mentis scilicet sensus indagandos & perscrutandos, orator ascendere videatur. Lege igitur, me auctore, SENSVSQVE EOS CERNIMVS, Quos autem, quæso, sensus? sequitur. Vt quicquid belli fortuna &c. Alioqui illud, V T, quod sequitur, vnde ducatur non habebit. Vt quicquid fortuna belli &c.

BREVI TEMPORE FVTVRA SIT ILLA AVCTORITAS IN HIS MAIORVM SVORVM ET SVIS SEDIBVS.) τὸ, FVTVRA, ferri quidem potest, sed etiam melius aliquid requiri potest. Quid igitur si. BREVI TEMPORE REVICTVRA SIT ILLA AVCTORITAS, IN IIS SEDIBVS ET SVIS ET MAIORVM

RVM SVORVM, Scriptum ſcilicet erat, TempoREuictutra. Manutius ex alia cauſa putat locum non integrum videri Maiores enim iſti, inquit, parietum eſſe non poſſunt. Quod ſi parietum non ſunt, nullius erunt. Itaque videndũ. Vt nos quidem legimus, ſenſus is eſſe poteſt. Breui futurum eſſe, vt vetus illa auctoritas reuiuiſcat in curia, hoc eſt, regnet in illis ſedibus & ſuis & maiorum ſuorum. Id autem eſt. In illis, vbi & ipſa ſedit, & maiores ipſius ſederunt. Habet enim auctoritas & ſedem ſuam, curiam ſcilicet, & maiores ſuos, qui illam ſcilicet pepererunt, & eandem hanc auctoritatis ſuæ ſedem, curiam, habuerũt. Ita maiores, mea quidem ſententia, non ad, parietes, referrentur, ſed ad auctoritatem, quæ eſt à veteribus Romanis illis, tanquam à parentibus & maioribus ſuis, ad poſteros propagata. Hæc dixi, ſi fortè alicui locum hunc, ex ea ſaltem parte menda vacare, poſsim perſuadere.

ORATIO.

EQVIdem cùm C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate ac virtute præditi, lachrymas modò vobiſcum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit: quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conſeruato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimamq; familiam, iam ad paucos redactam, penè ab interitu vindicaſti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. Hæc enim res vnius eſt propria Cæſaris: cæteræ duce te geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed tamen multo magnoq; comitatu. Huius autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta eſt, vt trophæis monimentisq; VI. CICERO.

mentisq;

mentisq́; tuis nulla vnquam allatura sit finem ætas. Nihil enim est opere aut manufactum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas: at verò hæc tua iustitia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita, vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

NOTAE.

PATRIC. COMMEMORABILI PIETATE.) Quid si, IMMEMORABILI: Vel etiam, NON MEMORABILI. Quæ videlicet hominum eius ætatis memoriam excedat. Vel simpliciter, MEMORABILI. Quæ digna videlicet sit memoria & recordatione. Vel iam, vt est, COMMEMORABILI, quæ digna sit vt commemoretur.

OMNIVM MARCELLORVM MEVM PECTVS MEMORIA EFFODIT) Sensus. Omnium Marcellorum memoria pectus meum effodit. Hoc est. Omnium Marcellorum mihi in mentem veniebat, cum singulari quadam, animi mei acerbitate. Tale est illud Tusc. Pungit dolor, vel fodiat sanè. Et illud Philip. Expectas, dum te stimulis fodiam: hæc te lacerat, hæc cruĉtat oratio. Ergo hic, EFFODIT, significat, lacerauit & cruentauit. Victor. var. lib. 34. c. 9 EFFODIT, simpliciter, pro, aperuit, interpretatur, & nescio cuius, MEMORIAM, pro, MEMORIA, reprehendit: qui videlicet etiã, EFFVDIT, legebat pro, EFFODIT. Quod ipsum mihi quidem etiam atq; etiam considerandum videtur, tum quòd is, quisquis est, ingeniosus vir & eruditus, à Victorio ipso viro eruditissimo appellatur, tum verò etiam, quod apud Asconium Pedianum in argumento or. pro M. Scauro ita lego. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere Iudices mouit, & squalore, & lachrymis, & Ædilitatis effusa memoria ac fauore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione.

QVIBVS TV) Modò dixit, VOBISCVM: Cùm vobiscū viderem. Nunc ait, TV. Tu reddidisti. Quorum alterū Patres conscriptos respicit, alterum C. Cæsarem ipsum. Quæ est hæc autē per deos, & personarū, & numerorum, tanta, tam repentina commutatio? Hoc magis certè quidem, quòd cùm paulo antè dixerit, ad Cæsarem ipsum sermone conuerso. Parietes tibi C. Cæsar, gratias agere gestiunt, statim mutata oratione, Cùm vobiscum viderē, inquit. Sed nimirum tota hæc oratio eiusmodi est, vt in ea, nūc Cæsar ipse, nunc Patres conscripti compellari videantur. Habita enim in Senatu est præsente Cæsare. Hoc autē est, præsente principe, in rep. iam inclinata.

HVNC IGITVR TV DIEM) DIEM, videndum. Non quin per se rectum sit, sed quia hoc loco, cum eo quod sequitur, non satis conuenit. Statim enim comparat hunc diem, non cum aliis diebus aut temporibus, sed cùm gratulationibus, quæ mihi non planè directa esse videretur comparatio. Legerem. HANC IGITVR TV REM, pro, DIEM. Sequitur enim in redditione causæ statim. HAEC ENIM RES, inquit, Et rursus mox. HVIVS AVTEM REI, tu idem es & dux & comes. Sed tamen libenter quæro aliud, quod reponā: siue, LAVDEM: siue quid aliud. FIDEM, non longè abesset, à, DIEM. Sed & hoc videndum. Quid si, HOC TV IGITVR IDEM, commutatis videlicet literis, IDEM, pro, DIEM, Quid? si, DIEM, planè deleas, & simpliciter legas. HANC TV IGITVR TVIS, max. & innumer. gratulationibus iure antepones. Et quidem, HANC, vt subaudias, gratulationem. Quid autem deniq; si totum legas sic. Hanc tu igitur laudem, quæ vnius est propria Cæsaris, tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. Cætera enim duce te gesta, magna illa quidem, sed t. m. m. comitatu: huius autem rei tu idem es & dux & comes. Quæquidem tanta est &c. Dices. Censen' Patrici, ita esse hæc collocanda? Dixi quod videretur, & quidem vtcunque videretur. Tu quin tuo iudicio vtare, nihil impedio.

CAETERAE DVCE TE GESTAE &c.) Cætera, inquit, ductu tuo gesisti, at comitatu aliorum: huius autem rei tu idem es & dux & comes.

VT TROPHAEIS MONIMENTISQVE TVIS NVLLA VNQVAM ALLATVRA SIT FINEM AETAS)

A E T A S) Probo Victorium lib. 16. c. 21. qui addit negationem. sic, NONNVLLA VNQVAM. Quæ enim eius rei statim redditur ratio, ea idipsum velle planissime videtur. Sed magis probo Faërnum: qui delet totum illud, NVLLA VNQVAM, legitque, MONIMENTISQVE TVIS ALLATVRA SIT FINEM AETAS. Meum etiam illud addo, vt si quis nihil delendum esse velit, is legat. Vt trophæis monimentisq; tuis nonnunquam allatura sit finem ætas. Vt videlicet pro, NVLLA, scribatur, NON. & pro, VNQVAM, NVNQVAM.

NIHIL ENIM EST O. A. M. F. Q. A. N. C. E. C. VETVSTAS) Hoc totum in parenthesi.

IVSTITIA ET LENITAS ANIMI) Vt tibi iusta & clemens fuerit seruitus apud me, scis. Terentius Andria. Ibi notauimus quædam.

FLORESCET QVOTIDIE MAGIS, ITA VT QVANTVM) Non magnopere placet illud. MAGIS ITA VT. Ita vt, τό, MAGIS, abesse propemodum posse, atq; adeò etiam abesse debere videatur. Hactenus scripseram. Cùm deinde Lãbinum legens, inuenio veteres quosdam libros legere sine, VT, hoc pacto. FLORESCET QVOTIDIE MAGIS. ITA QVANTVM &c. Gaudeo, & sic reponendum planè censeo. Pro, AFFERAT, etiam legam, afferet.

QVANTVM OPERIBVS TVIS DIVTVRNITAS DETRAHET, TANTVM AFFERAT LAVDIBVS) Quid est hoc? Si dixisset sic, Opera quidem tua non erunt sempiterna. Nam vt tibi ipsi mors imminet, ita opera quoque tua vetustate consumentur. At verò laus tua operumq; tuorum erit immortalis. Si, inquam, dixisset sic: satis equidem dixisset. Nunc id etiam auget ipsum, ad hunc modum. Quo minus diu, opera tua extabunt & vigebunt, hoc laus eorum diuturnior est futura, & quidem diuturnior sic, vt non modò in suo statu permaneat, sed etiam magis atq; magis crescat & augeatur. Nimirum vsura omnis non satis diuturnæ vitæ tuæ operumq; tuorum, sarcietur longinquitate, & incremento continuo immortalium laudum tuarum.

DIVTVRNITAS DETRAHET) DIVTVRNITAS, hoc est vetustas. Alioqui legendum videtur ad talem aliquem modum. VT QVANTVM OPERIBVS TVIS

DIVTVRNITATIS, TEMPVS DETRAHET, TANTVM AFFERAT LAVDIBVS. Hoc est. Vt quantũ diuturnitatis detrahet tempus operibus tuis, tantundem rursus diuturnitatis adiiciat tuis laudibus.

ORATIO.

VII. CICERO.

ET cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antè æquitate & misericordia viceras: hodierno verò die te ipsum vicisti. Vereor, vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse cogitans sentio: Ipsam victoriam vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cùm ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. Rectè igitur vnus inuictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio visq; deuicta est. Atque hoc C. Cæsaris iudicium P. C. quàm latè pateat, attendite. Omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reipub. misero funestóque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus.

NOTAE.

IAM ANTE AEQVITATE.) Mallem. IAM ANTEA AEQVITATE. PATRIC.

VEREOR VT HOC QVOD DICAM, NON PERINDE

INDE INTELLIGI AVDITV POSSIT) Malo, AVDITVM. Illud autem, VEREOR VT, legendum puto, VEREOR NE. Quæ quomodo differant, & quid significent, satis iampridem alii adnotarunt. Locum ipsum emendat etiam Lambinus, eadem sententia, sed verbis aliis. Legit enim, VEREOR VT, sed mox delet, NON: in illo quod sequitur, Non perinde, Et totũ legit sic. VEREOR, VT HOC QVOD DICAM PERINDE INTELLIGI &c. Cum Lambino facit Manutius. Sed addit, quod nostram coniecturam, meliorem vtriusq; coniectura videri facit, in libro Fuluii Vrsini haberi planè, vt nos diuinauimus. VEREOR, NE HOC QVOD DICAM NON PERINDE. Et sic reponendum iam esse planè censerem, nisi me Asconii commoueret auctoritas, qui hunc locum citans, in diuinationem Ciceronis, legit, vt Lambinus, & Manutius. VEREOR VT HOC QVOD DICAM, PERINDE &c. Ergo vt libet. Mihi enim pro eodem est.

CVM EA IPSA QVAE ILLA ERAT ADEPTA) Posset etiam, QVAE ILLA ERAS ADEPTVS, hoc autem est, quæ eras adeptus per victoriam. Sic infrà 12. Quo duce omnia summa sit adeptus. Interdum venit mihi in mentem, ita potius legendum videri. CVM EA, QVAE ILLA IPSA ERAS ADEPTVS. vel, QVAE IPSA ILLA ERAS ADEPTVS. Translata dictione, IPSA, post verbum vnum atque alterum. Hæc mea sunt. Lambinus scribit libros nonnullos in. CVM EA IPSA, non habere, IPSA. Quod ipsum meam quoque coniecturam adiuuat.

IPSIVS VICTORIAE CONDITIONE IVRE OMNES VICTI OCCIDISSEMVS) IVRE, hoc loco aduerbium est: atque ideo accentu graui notandum. Ego autem interdum illud, CONDITIONE, foris illatum esse existimem, appositum pro glossemate ad nomen, IVRE, auferendi casu, nulla accentus nota insignitum. Quàm enim concinnum sit hoc membrum, sic. Cum ipsius victoriæ iure, omnes victi occidissemus, membrum quod statim sequitur, satis indicat. Clementiæ tuæ, inquit, iudicio conseruati sumus. Quod neque duo vocabula vsurpat, & iudicium iuri opponit. Quid? si CONDITIONE ET IVRE.

VNVS INVICTVS ES) Mallẽ planè, Vnus inuictus es &c.

ETSI

ETSI CVLPA ALIQVA TENEMVR ERRORIS HVMANI, A SCELERE CERTE LIBERATI SVMVS) Scelus, maius est quàm culpa: culpa etiam, maius quàm error. Error, autem simpliciter, maius quodam modo, quàm humanus error. Quid sit autem, error humanus, copiosè ostendimus in notis nostris in lib. 1. Tusc. n° 59. Vide igitur quomodo rem extenuet. Scelere prorsus vacamus. Si quid, culpa saltem fortaßis tenemur, nec simpliciter culpa eiusmodi, quæ magna videri queat, sed culpa erroris tantùm, neque id erroris etiam alicuius grauißimi, sed erroris humani. Cum autem dicit, LIBERATOS ESSE, significat, facto illo Cæsaris, quòd Marcello ad postulata eorum, ignouerit, ipsos etiam qui pro illo postularunt, extra opinionem sceleris apud Cæsarem remansisse. Neque enim ipsis eiusmodi quicquam tribuisset, si illos sceleratos esse duxisset. Vide eam quæ est pro Ligario.

ORATIO.

NAM cùm M. Marcellum, deprecantibus nobis, Reipub. conseruauit, memet mibi & item Reip. nullo deprecante, reliquos amplißimos viros & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non ille hostes induxit in Curiam, sed iudicauit á plerisq; ignoratione potius, & falso atq; inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum esse susceptum. Quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendúmq; esse putaui: sempérq; dolui, non modò pacem, sed orationem etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. Neq; enim ego illa, VIII. CICERO.

nec vlla vnquam ſecutus ſum arma ciuilia: ſempérque mea conſilia pacis, & togæ ſocia, non belli, atque armorum fuerunt. Hominem ſum ſecutus priuato officio, non publico: tantúmque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modò cupiditate, ſed ne ſpe quidem, prudens & ſciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum conſilium minimè obſcurum fuit. Nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipſo bello eadem etiam cum capitis mei periculo ſenſi.

NOTAE.

PATRIC. NVLLO DEPRECANTE) Contra illud quod modò dixit de Marcello, nobis deprecantibus.

RELIQVOS AMPLISSIMOS VIROS ET SIBI IPSIS ET PATRIAE REDDIDIT) Legerem. Reliquos ampliſsimos viros etiam, ſibi ipſis & patriæ reddidit. Nam & ſuperius in eodem genere, vno, E T, vtitur. Memet mihi & item reip. & inferius in alio genere, bino, Quorum & frequentiam & dignitatem.

NON ILLE HOSTES INDVXIT IN CVRIAM) Videndum. Legerem. NON ILLE HOSTES ESSE DVXIT IN CVRIA. Sequitur ſtatim. Sed iudicauit.

AGENDVM AVDIENDVMQVE) Legerē. Ferè. AVDENDVMQVE. Eſt autem loquendi modus ſcriptoribus non infrequens, Agendũ, audendum. Quod ſi diſplicet, agè quæratur aliud. Quid ſi, AGENDVM MOLIENDVMQVE. Quid ſi, AGENDVM TENTANDVMQVE.

SEMPER DE PACE AGENDVM ESSE, PVTAVI,

VI, SEMPERQVE DOLVI) Videndum τὸ, SEMPER. Sic olim. Nunc nihil aliud quàm prius illud, SEMPER, dico non connectendum esse cum, SEMPER DE PACE, neque cum, SEMPER AGENDVM, sed, vt scripsi, cum, SEMPER PVTAVI. Sicut etiam mox in illo, Orationem ciuium pacem efflagitantium, illud, CIVIVM, non iungendum esse puto cum, PACEM, vt sit, CIVIVM PACEM, sed cum, ORATIONEM, vt sit, ORATIONEM CIVIVM, quanquam vtroque modo diceretur non insulsè.

PACEM EFFLAGITANTIVM) libentius, FLAGITANTIVM. Hoc enim eorum est, qui quasi orant: illud, quasi qui exorant. Hanc epistolam efflagitarunt conuicio codicilli tui. Scribit idem alicubi.

NEQVE ENIM EGO ILLA, NEC VLLA) Mallem ferè. ILLA, AVT VLLA.

PACIS ET TOGAE SOCIA) Quid? si vltima vox absit.

NON BELLI ATQVE ARMORVM) Fortè. NEQVE ARMORVM.

HOMINEM SECVTVS SVM) non arma scilicet. HOMINEM, autem cùm dicit, Pompeium designat.

PRVDENS ET SCIENS TANQVAM AD INTERITVM) Malo. TANQVAM SCIENS ET PRVDENS AD INTERITVM. &c.

IN HOC ORDINE) In Senatu scilicet. Sed cùm sic dicimus, in senatu, locum ferè significamus. Nunc videndum est, an, ordo, locum significet. Nisi fortè, ordine dixerit pro, consessu, quo verbo proximè est vsus infrà n° 20. Marcello, inquit, huic ordini reddito.

ETIAM CVM CAPITIS MEI PERICVLO) Hoc totum, duobus comatibus est includendum.

ORATIO.

EX quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bel- IX. CICERO.

lo fuerit, cùm pacis auctores conseruandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atq; id minus mirum videretur fortaſse tum, cùm eſſet incertus exitus, & anceps fortuna belli. Qui verò victor pacis auctores diligit, is profectò declarat, maluiſſe ſe non dimicare, quàm vincere. Atque huius quidem rei M. Marcello ſum teſtis: noſtri enim ſenſus, vt in pace ſemper; ſic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi cùm inſolentiam certorum hominum, tum etiam ipſius victoriæ ferocitatem extimeſcentem? quo gratior tua liberalitas C. Cæſar nobis, qui illa vidimus, debet eſſe. Non enim iam cauſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ comparandæ.

NOTAE.

PATRIC. CONSERVANDOS STATIM CENSVERIT) STATIM, Videndum. Expono tamen, ſtatim, nulla videlicèt iracundia interueniente, cum cæteris, qui pacis auctores non fuerunt, fuerit, vt mox dicit, iratior. Vel expono, ſtatim, hoc eſt, nullis deprecatoribus expectandis. vt antè dixit. Vel etiam Statim, quia inſperatis. vt infrà nº 12. Quid ſi, CONSTANTER CENSVERIT, pro, STATIM CENSVERIT. Quod non ſatis placet, propter cacophoniam, conſeruandos conſtanter.

ATQVE ID MINVS MIrum) ID, pacis auctores cõſeruari.

CVM ESSET INCERTVS) Significantius. CVM ESSET ETIAM INCERTVS. Póki ieſzcze niewiedziéć było. &c. Scriptum erat. Cùm eſsET incertus.

QVI

QVI VERO VICTOR) Hic coma subiungendum.

ATQVE HVIVS QVIDEM REI) pacis scilicet fuisse auctorem.

NOSTRI SENSVS CONGRVEBANT) Meus & tuus 4. Fam. 24. Qua in sententia me fuisse, memoria tenere te arbitror.

QVI ILLA VIDIMVS) Modò dixit. Quoties ego eum &c. Statim certè dicet. Omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam.

QVANTO CVM DOLORE) Meo, an ipsius. Hoc malo.

IPSIVS VICTORIAE) Quid si, VICTORIS, pro, VICTORIAE. Vt certis illis hominibus, hoc autem est aliquibus de contraria factione victorem ipsum opponat. Eò pertinet quod mox dicit. Quo gratior tua liberalitas C. Cæsar nobis. Nimirum Cæsarem confert cum victore illo, cuius ferocitas metuebatur. Atqui statim rursus ad victoriarum mentionem redit. Itaq; victorisné an victoriæ, legendum sit hoc loco, in medio relinquo. Vide infrà. Ira victoriæ.

ORATIO.

VIdimus tuam victoriam prælioru exitu terminatam, gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. Quos amisimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: vt dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conseruat quos potest. Alterius verò partis nihil amplius eo dicam, quàm id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modò armatis, sed interdum etiam ociosis minabantur: nec, X. CICERO.

nec, quid quisque sensisset, sed vbi fuisset, cogitandum esse dicebant: vt mihi quidem videantur dii immortales, etiam si pœnas à populo R. ob aliquod delictum expetiuerunt, qui ciuile bellum tantum & tam luctuosum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam saciati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse.

NOTAE.

PATRIC. VAGINA VACVVM) Bene. Quid tamen si, VAGINA EDVCTVM. Omnino autem gladius vagina vacuus, est, gladius extra vaginam. Etiam Manutius notat quædam: qui volet videre poterit.

GLADIVM VAGINA VACVVM IN VRBE NON VIDIMVS) In vrbe, vbi prælia nulla committebantur. Fortè autem præponendum, POSTEA, sic. POSTEA GLADIVM VAGINA VACVVM IN VRBE NON VIDIMVS. Quod si pluribus libeat, agè suppleamus sic. Præliorum exitu terminatam, post eam autem sic terminatam, gladium vagina vacuum &c. Vt ex vno, TERMINATAM, ad aliud, TERMINATAM, desiluisse videatur librarius.

IRA VICTORIAE) Nomen rei potius quàm personæ. Prudenter, ad inuidiam vocabuli emolliendam. Quod enim personæ est, rei tribuit. Sic mox. Nimis iracundam victoriam futuram fuisse. At verò paulo pòst, clementiam & sapientiam victoris dicit, non victoriæ. Quid si vt suprà diximus, de, ferocitate victoris, hic quoque dicamus de ira victoris, potius quàm victoriæ?

QVONIAM EX EADEM ACIE) Mallem, QVANDO, pro, QVONIAM. sic enim scribunt, QVANDO, qñ, & QVONIAM, qm̃. Vnde facilis lapsus fuit ex, qñ, in, qm̃, hoc est in, QVONIAM, ex QVANDO.

NIHIL AMPLIVS EO DICAM, QVAM ID QVOD

QVOD) Alterum abundat, vel, EO, vel, QVAM ID.

OCIOSIS) ab armis remotis, nec huic aut illi factioni addictis. & omninò exitum præliorum in ocio expectantibus.

QVI CIVILE BELLVM) Mallem, QVVM CIVILE BELLVM. Quanquam enim vtroque modo idem dicitur, tamen alterum altero lucidius est.

ORATIO.

QVare gaude tuo isto tam excellenti bono: & fruere cùm fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, iucunditasq́; sapienti. Cætera cùm tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerumq; felicitati tuæ gratulabere: de nobis, quos in Repub. tecum simul saluos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quæ non modò summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari, nō cupiditate præsertim aut prauitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certè non improba, & specie quadam Reip. non enim tua vlla culpa est, si te aliqui X'I. CICERO.

M *timue-*

timuerunt: contràque summa laus, quòd plerique minimè timendum fuisse senserunt.

NOTAE.

PATRIC. CAETERA CVM TVA RECORDABERE) Opponit huic, CAETERA TVA, illud quod sequitur. DE NOBIS. Cætera, inquit, quæ tua esse cogitabis, ea præcipuè fælicitati tuæ tribues: de nobis autem quoties tibi in mentem venerit, toties tibi de singularibus beneficiis tuis in mentem venerit. Legerē tamen sic, si nemo impediat, CAETERA ENIM TVA CVM RECORDABERE. Ostendit enim quomodo sit fructus sapienti in eo quod dixit.

SED OPINIONE OFFICII) Intellige, Lapsis.

ET SPECIE QVADAM REIPVB.) Videtur deesse verbū, ORNATA, vel, FVCATA, vel, TINCTA, vel, VELATA, vel, ADVMBRATA, vel, quod ferè omnium maximè probarem, COMMENDATA. Atque hoc quidem si aliquid deesse videatur. Nunc, si nihil deest, tunc hæc vtraq;, OPINIONE, &, SPECIE REIPVB. vtraque hæc, inquam, referenda sunt ad verbum, LAPSIS. Lapsis opinione, stulta illa quidem, sed non improba, lapsis etiam specie quadam reip. Quomodo autem, opinione non improba? & quomodo, specie quadam reipub.? Iustum videlicet & reipub. debitum officium reddi videbatur, vt idem ipse alibi scribit in epistola ad Torquatū libro ep. Fam. Ergo hæc ita erunt iungenda. Lapsis opinione officii, & specie quadam reipublicæ. quæ duo ipsa, ita porrò totidem superiora respicere videntur, vt videlicet, lapsos non cupiditate aliqua, sed opinione officii, & item, non prauitate vlla, sed specie quadam reipub. opponi inter se intelligamus. Manutius ita hoc quicquid est, legere videtur, vt totum illud, Stulta fortassè certè non improba, referre videatur ad, specie quadam reipub. Delet enim, ET, ac legit sic. Sed opinione officii. stulta fortasè, non improba certè specie quadam reipub.

NON ENIM TVA VLLA CVLPA EST) Videndum

dum quomodo cohæreat, aut quomodo ſit connectendum cum ſuperioribus.

ORATIO.

XII. CICERO.

NVNC venio ad grauiſſimam querelam & atrociſſimam ſuſpitionem tuam: quæ non tibi ipſi magis, quàm cùm omnibus ciuibus, tum maximè nobis, qui à te conſeruati ſumus, prouidenda eſt: quam etſi ſpero eſſe falſam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, noſtra cautio eſt: vt, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens. Sed quiſnam eſt iſte tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quàm quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, huius vitam non anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauendum eſt, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerūt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt: vt aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint.

NOTAE.

PROVIDENDA EST) Videndum an rectè dicatur, prouidere ſuſpicionem. PATRIC.

SPERO ESSE FALSAM) Sic sœpè alias sperandi verbo Cicero vtitur. Cum autem dicit, falsam, non respicit personam Cæsaris, in hoc verbo, quasi dicat ab eo esse confictam. Sic enim crimen falsi Cæsari impingeret. Sed rem ipsam respicit, & dicit esse falsam, quasi dicat inanem, & eam, quæ Cæsari non sit magnopere metuenda.

VT SI IN ALTERVTRO PECCANDVM) Præferendum ad initium, τὸ SIC, vel, ITA, Idq; vel re, vel intelligentia certè quidem. Ita vt si in alterutro peccandũ sit. Sic mox Vt aut nulli supersint.

ISTE TAM DEMENS) de quo tu grauissimè queri & atrocissimè suspicari videaris.

DE TVISNE) Estne, inquit, iste de numero tuorum? Et quia hoc non minus intelligi de illis poterat, qui ab eo sunt conseruati, quàm qui se ad eius partem applicauerant, Ideo statim, illos qui sunt ab eo conseruati, ab hac tam tetri facinoris suspicione excludit. Tametsi, inquiens, qui magis sunt tui, quàm quibus tu salutem insperantibus reddidisti? Quasi dicat. Verùm de iis dubitare nihil necesse est. Etsi enim nulli magis tui quàm isti, tamen tanta est magnitudo clementiæ erga illos tuæ, vt in iis ne suspicio quidem istius sceleris hærere videatur. Atq; ideo de altero illo suorum genere loqui se ostendit, dicens. An ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? Atq; hæc quidem cùm dicit, etsi hos quoq; suspicione liberat, tamen innuere quodam modo videtur, ab istis magis quàm ab illis esse Cæsari metuendum.

QVI VNA TECVM FVERVNT) id est, qui tuas partes secuti sunt

AT SI TVI,) Obiectio ex persona aduersariorum Marcelli, & in speciem amicorum Cæsaris: cui ipsi metuendum esse dicebant ab hoc vel ab illo.

QVI? OMNES ENIM QVI FVERVNT,) Aduocandum ex superiore τὸ, INIMICI, sic. Omnes enim qui fuerunt inimici. Est autem responsio ad obiectionem. Cauendum tibi, ò Cæsar, ab inimicis est. Dicit aduersarius Marcelli. Respondet Cicero, nullos esse inimicos. Et id probat.

NVLLI SVPERSINT DE INIMICIS) Duo postrema verba tollenda videntur. Est enim hæc locutio illi simili-

ma. Omnes qui fuerunt. Vt ſicut ibi ſubauditur verbum, inimici, ita hic quoque idem verbum ſubaudiendum eſſe videatur.

ORATIO.

XIII. CICERO.

SED tamen cùm in animis hominum tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus, augeamus ſanè ſuſpicionem tuam: ſimul enim augebimus & diligentiam. Nam quis eſt omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Rep. tam nihil vnquam nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat tua ſalute contineri ſuam, & ex vnius tui vitam pendère omnium? Equidem de te dies noctéſque, vt debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco: doleóque, cùm Reſpub. immortalis eſſe debeat, eam in vnius mortalis anima conſiſtere. Si verò ad humanos caſus incertóſque euentus valetudinis, ſceleris etiam accedat inſidiarúmque conſenſio, quem deum, etiam ſi cupiat, opitulari poſſe Reip. credamus? Omnia ſunt excitanda tibi C. Cæſar vni, quæ iacere ſentis belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa atque proſtrata: conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa iam fluxerunt, ſeueris legibus vincienda ſunt.

NOTAE.

PATRIC. SED TAMEN CVM IN ANIMIS,) Obiicere enim aduerſarius contra reſponſionem poſſe videbatur. Eſse omninò inimicos, quanquam non apertos. Cui noſter reſpondet, ſermonis vtens quadam circumductione. Cum in animis hominum inquit, &c.

AVGEAMVS SVSPICIONEM,) Quærat aliquis, quomodo auget ſuſpicionem iſtam? Reſpondeo. Auget, quia ſatis periculi ei eſſe oſtendit in ipſa communis naturæ fragilitate. Multò igitur magis eſſet metuendum, ſi quid præterea ab inimicis ipſis eſſet metuendum. Auget item, quia oſtendit, in vnius eius vita, vitam omnium, atq; adeò vitam R. P. totius conſiſtere, vt videlicet ſublato eo, reſpub. omnis ſublata eſſe videatur.

QVIS EST OMNIVM TAM IGNARVS RERVM) Ferri poteſt, addita diſtinctionis nota, poſt, OMNIVM. quid tamen ſi, QVIS EST OMNINO TAM IGNARVS.

EX VNIVS TVI VITAM PENDERE OMNIVM) Mallem, TVA, quâm TVI. Reliquum autem ſic. EX VNIVS TVA VITA VITAM PENDERE OMNIVM. Scriptum erat VITAm, quod legendum eſt. Vita, vitam. Poſſet etiam. Ex vnius tua vita, pendere omnium: ſubaudi, vitam. Sicut modò dixit. Tua ſalute contineri ſuam: ſubaudi, ſalutem. Vel poſſet denique vt eſt. Ex vnius tua, vitam pendere omnium. In Lambino ſunt etiam ex iis quædam, quæ modò diximus.

CASVS DVNTAXAT HVMANOS) Ego, inquit, ab ipſis duntaxat communibus periculis ſatis metuendum eſſe ſentio, quid ſi præterea ſcelus accedat inimicorum? Ergo, duntaxat, hic valet illud, quod nos dicimus, by tèž nie co inßego. τȣλάχιςον. Vide pro Deiotaro nº 1. In tuo duntaxat periculo. Latini id aliàs exprimunt ferè per, ſaltem. Verg. At freta Sicaniæ ſaltem. & alibi Sedibus vt ſaltem placidis in morte quieſcã. Ferè autem dixi. Vix enim hoc ipſo ſatis exprimitur id quod volo. Volo autem hoc iſto locutionis genere, non illud ſignificari, nihil eſſe amplius, præter caſus ipſos communes humanos, quod extimeſcendum ſit; ſed potius

tius illud. In casibus ipsis communibus humanis, satis inesse causæ ad timorem, etiamsi nullus terror accedat ab inimicis.

RESPVB. IMMORTALIS ESSE DEBEAT) Elegãs locus est, eiusdem lib. 3. Rep. ex August. Debet, inquit, sic esse constituta ciuitas, vt æterna sit: quæ si fortè extinguatur, simile quodammodo est, ac si omnis hic mundus intereat ac concidat.

SCELERIS ETIAM ACCEDAT INSIDIARVMQVE CONSENSIO) Consensio, non inter se sceleris tantùm & insidiarum, hoc enim vnum est: sed, horum scilicet vtrorumq; cum incerta valetudine, & communi naturæ fragilitate, aduersus salutem & vitam tuam.

OPITVLARI POSSE REIPVB.) Auget mirificè id quod vult, vnius istius verbi, REIP. vsurpatione. non enim dicit. Si tu, præter casus ipsos humanos, insidiis etiam inimicorum appetaris, vix est qui te diu saluum & incolumen præstare posśit. Non hoc dicit, quod tamẽ nõ sine energia diceretur maxima. Sed inquit. Quis est? Nec dicit, Quis hominum? sed, quis deorum est, qui nõ iam tibi, sed reip. ipsi in tua persona periclitanti, opẽ ferat?

OMNIA SVNT EXCITANDA TIBI) Quando dii, te mortuo, opem reipub. ferre, etiã si velint non possunt, & quando multa sunt, quæ præsentem alicuius opem in Republica flagitent, tibi ea certè omnia curanda sunt. In quo ipso, duo sunt. Vnum, vt intelligat Remp. sibi esse complectendam. Quod quidem primum est in intentione oratoris. Alterum, vt tanto magis vitam & salutem suam caram sibi esse debere sentiat, quanto magis eam reipub. necessariam esse cognoscit. Atque hoc quidem est vt auditori ipsi gratius, ita oratori, ad illud prius, tanto facilius ab auditore impetrandum, accommodatius.

DILAPSA IAM FLVXERVNT) Quid si, LAPSA IAM DIFFLVXERVNT vel, DEFLVXERVNT. Hoc magis, quòd Lambinus legit, DILAPSA DIFFLVXERVNT, Sed & Manutius, DEFLVXERVNT.

ORATIO.

NON fuit recusandum in tanto ciuili bello, XIII. CICERO.

tan-

tantóq. animorum ardore & armorum, quin quassata Respub. quicunque belli euentus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multáque vterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt, quibus præter te mederi nemo potest. Itaque illam tuam præclarissimā & sapientissimam vocem inuitus audiui, satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse, adeò etiam, si placet, gloriæ: at, quod maximum est, patriæ certè parum. Quare omitte quæso istam doctorum hominum in contemnendā morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse.

NOTAE.

PATRIC. NON FVIT RECVSANDVM,) **Bez tego nie mogło byé.** Scribo autem. NON fuit recusandum &c. Lego Non enim fuit recusandum. Exponit siquidem illud, quod obiter modò dixerat. Quod necesse fuit.

BELLI VVLNERA,) Videndum an vacet, vel vtrumq;, vel prius saltem. Dicuntur autem belli vulnera, quæ bellum inflixit. Reip vulnera, quæ reip. sunt inflicta.

SATIS TE DIV VEL NATVRAE VIXISSE, VEL GLORIAE. SATIS, SI ITA VIS, NATVRAE FORTASSE, ADEO ETIAM, SI PLACET, GLORIAE) Lego, SATIS SIT, SI ITA VIS, NATVRAE FORTASSE, ADDO (vel, ADDE) ETIAM,

AM, SI PLACET GLORIAE. Etiam Lambinus.

PATRIAE CERTE PARVM) quæ tibi curanda & complectenda est.

ORATIO.

XV. CICERO.

SOEPE enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebrò dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viueres, aut si tibi etiam soli natus esses: nunc cùm omnium salutem ciuium, cunctámque Rempub. res tuæ gestæ complexæ sint, tantùm abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuæ vitæ non salute Reip. sed æquitate animi definies? quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est, cuius te esse auidissimũ, quanuis sis sapiens, non negabis? Parúmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immò verò aliis, quanuis multis, satis: tibi vni parum. Quicquid enim est, quanuis amplum sit, id certè parum est tum, cùm est aliquid amplius. Quòd si rerum tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduersariis Remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide quæso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ. Siquidem gloria est illustris ac peruagata multorum

N

torum & magnorum vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

NOTAE.

PATRIC. TANTVM ABES) Fero. Sed tamen. Mallem ferè. TANTVMQVE ABSIS. Hanc enim ſententiam his verbis libentius ſubeſſe exiſtimem Cum tua ſalute, ſalus reipub. contineatur, (hoc eſt enim illud. Cum omnium ſalutem ciuium, cunctamq; remp. res tuæ geſtæ complexæ ſint) tu autem tantum abſis à perfectione eorum, quibus reſpub. indiget, vt vix fundamenta eorum, quæ animo deſtinaſti, ieceris, in eóne tu articulo temporis, terminum vitæ tuæ, æquitate potius animi tui, quàm reipub. neceſsitate ſtatues? ABESSE AVTEM A PERFECTIONE ALIQVARVM RERVM, eſt, eas non perfeciſſe. Eſt enim hoc loco perfectio verbale nomen, à perficio. Atq; hæc quidem ſic, ſi ea quæ ſtatim ſequuntur, ita vt ſunt, relinquenda ſunt. Nunc ſi cui ad illud, HIC TV MODVM, addendum videretur, ET, vel, SCILICET. ſic. Et hic tu modum, Vel. Scilicet tu modum, Tum hoc quidem. TANTVM ABES, ita vt eſt, relinqui poteſt.

FVNDAMENTA QVAE COGITAS) eorum ſcilicet quæ cogitas. Quid autem ſi hoc totum legatur ſic. TANTVM ABES A PERFECTIONE MAXIMORVM OPERVM QVAE COGITAS, VT FVNDAMENTA NONDVM IECERIS.

AEQVITATE ANIMI) adderem, TVI. Atq; id ſanè hoc loco malim, quàm ibi infrà vbi ſequitur. Ne gloriæ quidem tuæ. Eſt autem Ciceroni, æquitas animi, quæ aliis dicitur, æquanimitas.

QVID SI ISTVD NE GLORIAE QVIDEM TVAE) Redit ad id quod conceſiſſe iam videbatur, Videlicet, cùm oſtendiſſet breuiter, patriæ eum non ſatis vixiſſe, nunc oſtendit, ne gloriæ quidem ſatis.

NON NEGABIS) Tollendum interrogationis punctum.

PARVM

PARVMNE GLORIAM MAGNAM) Id est. Parúmne magnam gloriam.

ALIIS QVAMVIS MVLTIS SATIS)Subaudi,magnam. Satis magnam. Sic mox. Tibi vni parum, supple,magnã: parum magnam. Aliis,inquit,plurimis satis magnam gloriam relinques, tibi vni parum magnam.

QVICQVID ENIM EST QVAMVIS AMPLVM SIT,ID CERTE PARVM EST TVM, CVM EST ALIQVID AMPLIVS)Legerem.QVICQVID ENIM EST QVAMVIS AMPLVM,ID CERTE PARVVM EST TVM CVM EST ALIQVID AMPLIVS.

SI QVIDEM GLORIA EST) Sic expono. Gloria est fama peruulgata meritorum multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum: Subiungendum. At tibi restant etiam, vt mox ait, multa conficienda & magna. Ergo tua virtus, si his, in quibus nunc est terminis consistat, non satis gloriæ habitura esse videbitur. SVOS CIVES, alterum ferè abundat.

ORATIO.

HÆC igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, vt Remp. constituas: eáque tu inprimis composita summa tranquillitate, & otio perfruare. Tum te, si voles, cùm & patriæ quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris sacietate viuendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cùm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? quanquam iste tuus animus nunquam his XVI. CICERO.

 angustiis,

angustiis, quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit, sempérque immortalitatis amore flagrauit. Nec verò hæc tua vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa, inquam, illa vita est tua Cæsar, quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tu inseruias, huic te ostentes oportet: quæ quidem quæ miretur, iampridem multa habet, nunc, etiam quæ laudet, expectat.

NOTAE.

PATRIC. HAEC IGITVR TIBI RELIQVA PARS EST, HIC RESTAT ACTVS, IN HOC ELABORANDVM EST) Vereor, ne hoc totum, HIC RESTAT ACTVS, IN HOC ELABORANDVM EST, vacet, aut saltem alterum horum.

EAQVE TV INPRIMIS COMPOSITA, SVMMA TRANQVILLITATE ET OTIO PERFRVARE) Sensus. Constituas Remp. & ea composita, sanus & incolumis quamdiutissimè, in ocio, antequam migres ê vita(hoc enim ferè significat, inprimis)perfruare. Vel, inprimis, i. inter primos. Lãbinus nescio quem nodum in scirpo quærit.

QVID EST) Fortè, QVOD EST ENIM.

HOC IPSVM DIV) Prima duo verba ferè vacare videtur.

ILLA, INQVAM, ILLA VITA) Malo, ILLA, ILLA, INQVAM, VITA, &c. Et sic Manutius.

QVAM IPSA SEMPER AETERNITAS INTVEBITVR) Imò potius, quæ ipsam semper æternitatem intuebitur. Verùm ego lego potius, TVEBITVR, pro, INTVEBITVR. Ergo, quam æternitas tuebitur, id est, quam in perpetuum conseruabit. Ac gaudeo quidem ita esse (quod Lambinus

annotat)

annotat)in veteribus. Et ſequitur Manutius.

HVIC TV IN SERVIAS &c.)ad poſteritatem referendũ Sic mox. Serui iis iudicibus, qui multis ſeculis pôſt de te iudicabũt.

HVIC TE OSTENTES) Videndum.

QVAE MIRETVR) in te, ſcilicet. Et ſtatim exponit, quid in ipſo mirabitur. Et ſignificanter admodum addit illud, TVOS, Triumphos tuos. Hoc nimirum innuens, quod dicimus, poſteris multa in ipſo admirationi futura.

ORATIO.

XVII. CICERO.

OBſtupeſcent poſteri certè, imperia, prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monimenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos. Sed niſi hæc vrbs ſtabilita tuis conſiliis & inſtitutis erit, vagabitur modò nomen tuũ longè, atq. latè, ſedem quidem ſtabilem & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio, cùm alii laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent, alii fortaſſe aliquid requirent, idq́; vel maximum, niſi belli ciuilis incendium ſalute patriæ reſtinxeris: vt illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilii. Serui igitur iis etiam iudicibus, qui multis pôſt ſeculis de te iudicabunt, & quidem haud ſcio an incorruptius quàm nos: nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt.

NOTAE.

PATRIC. OBSTVPESCENT POSTERI CERTE, IMPERIA, PROVINCIAS) Mallem. OBSTVPESCENT POSTERI, CREDE MIHI, IMPERIA &c. Scriptura tali. Crede mImperia.

EFFERENT) Mallem ſimpliciter, FERENT.

IDQVE VEL MAXIMVM, NISI BELLI CIVILIS INCENDIVM SALVTE PATRIAE RESTINXERIS) Hoc totum in comate poſteriore, Pro nominatiuo. Hoc igitur maximè requirent, quod non reſtinxeris &c. Niſi, pro, ſi non. Niſi reſtinxeris, id eſt, ſi non reſtingues. Vel ſic. Niſi reſtinxeris, requirent in te poſteri aliquid, & quidem fortaſſe non vulgare nec mediocre. Vel ſic. Requirent in te aliquid poſteri, idq; ipſum tum maximè facient, vbi tu non reſtinxeris. Legerem enim tunc, MAXIME, pro, MAXIMVM. Sed tamen in primo aut in ſecundo acquieſco.

SALVTE PATRIAE RESTINXERIS) Salute reſtinguere, miro quodam modò dicitur. Planius & plenius, ſi quis ſic permittat. SALVTE PARTA PATRIAE.

VT ILLVD FATI VIDEATVR FVISSE HOC CONSILII) Illud. Imperia ſcilicet, prouincias, victorias, triumphos, munera, ædilitia &c. Hoc, vrbs ſcilicet conſiliis ſtabilita.

ORATIO.

XVIII. CICERO. *ID autem, etiã ſi tunc ad te, vt quidã falsò putant, non pertinebit: nunc certè pertinet, te eſſe talem, vt tuas laudes obſcuratura nulla vnquam ſit obliuio. Diuerſæ voluntates ciuiũ fuerunt, diſtractæq; ſententiæ. Non enim conſilijs ſolùm & ſtudijs, ſed armis etiam & caſtris diſſidebamus. Erat autem obſcuritas*

ſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant, quid optimum eſſet: multi, quid ſibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Reſpub: eſt hoc miſero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret: neque omnes, quibus iratus eſſet, eoſdem etiã exilio aut morte dignos iudicaret. Arma ab alijs poſita, ab alijs erepta ſunt. Ingratus eſt iniuſtusq; ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: vt etiam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in cauſa animam profudit. Quæ enim pertinacia quibusdam, eadem alijs conſtantia videri poteſt.

NOTAE.

QVIDAM FALSO PVTANT) qui negant noſtros animos eſſe immortales. PATRIC.

ERAT AVTEM OBSCVRITAS QVAEDAM) Quid eſt, obſcuritas? Obſcuritas quia multi dubitabant, quid optimum eſſet, vt mox inquit. multi, quid ſibi expediret &c.

QVI NON FORTVNA INFLAMMARET) Fortaſſe, QVI NON FERITATE INFLAMMARET. Omninò contrarium aliquid bonitati quærendum, Bonitas, enim in membro ſequenti huic verbo opponitur. Quærendum autem præterea eiuſmodi aliquid, quod vel ſcriptura, vel enunciatione proximè accedat ad, FORTVNA.

ODIVM SVVM) Quo ſcilicet alios proſequebatur. Non, quo eum alii proſequerentur, Sic enim dixiſſet, ſui, non, ſuum.

FATA-

FATALI BELLO) pro Ligario nº 10. Fatalem quandam calamitatem incidisse ait.

AB ALIIS EREPTA SVNT) Legerem sine, AB: ALIIS EREPTA. Vel, AT, pro, AB. At aliis erepta sunt.

ETIAM ILLE SIT MELIOR QVI IN ACIE CECIDIT, QVAM QVI IN CAVSA ANIMAM PROFVDIT) Fortè. ILLO SIT MELIOR. Sed vulgatum retineo. Hoc dicit autem. Tolerabilior pertinacia est eorum, qui, morte in acie oppetita, constantiam animi ostenderunt, quâm, qui vita ipsa sua à victore conseruata, victori nolũt quicquam in causa concedere. Legerem enim ferè libentius, PROFVNDIT, quàm, PROFVDIT. Est autem ferè, animam profundere, idem quod, vitæ sibi periculum accersere. Comparat verbum cadere, cum eo quod est, animam, id est, vitam profundere: & item opponit sibi è regione τὸ, in acie, cum τῷ, in causa. Interdum etiam delerem ferè, τὸ CECIDIT. & legerem. MELIOR QVI IN ACIE, QVAM QVI IN CAVSA ANIMAM PROFVNDIT, Victorius aliter lib. 16. c. 21. Lambinus nobiscum facit. Manutius exponit, in causa, in eodem scilicet sensu, quo fuit ante victoriam.

QVAE ENIM PERTINACIA QVIBVSDAM, EADEM ALIIS CONSTANTIA VIDERI POTEST) Mallem. QVAE ENIM PERTINACIA IN QVIBVSDAM, EADEM IN ALIIS CONSTANTIA VIDERI POTEST. Videtur autem constantia in iis, qui in acie ceciderunt. Pertinacia in iis qui in causa armis profligata laborant. Alioqui, videtur quibusdam pertinacia, videtur aliis constantia, cùm ita dicitur, non ostenditur qualitas, iis inhærens, de quibus sermo fit, sed opinio tantùm aliorum de qualitate illis inhærente.

ORATIO.

XIX.
CICERO. *SEd quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris: restat, vt omnes vnum*

num velint, qui modò habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis. Quia, nisi te C. Cæsar saluo, & in ista sententia, qua cùm antea, tum hodie vel maximè vsus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, vt vitæ, vt saluti tuæ consulas: omnesq; tibi, vt pro aliis etiam loquar, quod de me ipso sentio, quoniam subesse aliquid putas quod cauendum sit, non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur.

NOTAE.

FRACTA DISSENSIO EST ARMIS) Legerem, FINITA, vel, PERACTA, vel quid aliud: & delerem propemodū, ARMIS. Veteres Steph. legūt pro, FRACTA, FACTA. PATRIC.

NON SOLVM SAPIENTIÆ SED ETIAM SANITATIS) nietylko kto mądry/ale kto iedno rozum ma. Non qui sapientia prædìtus est tātùm, sed qui modò sit cōpos rationis.

QVIA NISI &c.) His verbis, & item illis quæ sequuntur. Quare omnes te &c. exponit, quid sit illud vnum, quod omnes velle debeant. Nimirum, saluum Cæsarem & incolumem, si modò reliqui, salui etiam & incolumes esse debent.

HAEC SALVA) HAEC, dicticῶς. Ostendit autem, vt puto, vel suum ipsius iugulum, vel curiam ipsam, in qua hæc dicebantur, vel vrbem denique totam, vel aliquid eiusmodi. Cùm autem dicit, omnes qui hæc salua esse volumus, idem est ac si dicat, omnes qui aliquid sapimus, & qui sana mente sumus.

VT VITAE, VT SALVTI) Mallem, VT VITAE ET SALVTI.

OMNESQVE TIBI) Coniungo, OMNES HORTAMVR, OMNESQVE POLLICEMVR.

VT PRO ALIIS ETIAM LOQVAR QVOD DE ME IPSO SENTIO) Totum hoc parenthesi includendum: si modo illud delendum non est. QVOD DE ME IPSO SENTIO.

QVONIAM SVBESSE ALIQVID PVTAS) Pro, QVONIAM, tale aliquid libenter reponerem, quale est, QVOAD. Quoad subesse aliquid putas.

QVOD CAVENDVM SIT) tibi videlicet ab aliquo.

EXCVBIAS ET CVSTODIAS) has diurnas, illas nocturnas.

LATERVM NOSTRORVM OPPOSITVS ET CORPORVM POLLICEMVR) Nihil moueo, sed tamen quod sentio dico. Tale aliquid mallem, Vel. LATERVM NOSTRORVM ET CORPORVM OPPOSITVS POLLICEMVR. Vel, LAT. N. OPP. POLLICEMVR. Vt illud, ET CORPORVM, deleatur, quod est τοῦ, LATERVM, expositio quædam.

ORATIO.

XX. CICERO. *SEd vt, vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea: maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus & lachrymis sentire potuisti. Sed quia non est astantibus omnibus necesse dicere, à me certè dici volunt: cui necesse est quodam modo, & quod volunt, & quod M. Marcello à te huic ordini populóque R. & Reip. reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. Nam læ-*

tari

tari omnes, non vt de vnius solùm, sed vt de communi omnium salute, sentio. Quod autem summæ beneuolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, vt vix C. Marcello optimo & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini: cùm id solicitudine, cura, labore tandiu præstiterim, quandiu est de illius salute dubitatum, certè hoc tempore magnis curis, molestijs, doloribus liberatus præstare debeo. Itaq; C. Cæsar sic tibi gratias ago, vt, omnibus me rebus à te non conseruato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnũ merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

NOTAE.

SED VT VNDE ORSA EST, IN EODEM TERMINETVR ORATIO MEA) Hoc ego vix Ciceronis, aut certè vix saltem integrum, esse puto. Si emendandum est, emendarem. SED VT VNDE ORSA EST, EODEM TERMINETVR. Vel, ORSA EST, FINE EODEM TERMINETVR ORATIO MEA. Quanquam ne illud quidem, ORSA EST ORATIO, integrum esse videtur. Nam, verbum, ORSA, ex actiua significatione in pasiuam demigraret. Sed quasi rectum sit, ita exponamus. Orsi, inquit, sumus dicere de M. Marcelli restitutione: ex qua in sermonem de atrocibus quibusdam suspicionibus tuis delapsi sumus, nº 22. Redeamus ergo vnde exorsi fuimus, & de Marcelli restitutione loquamur. Ne longum faciam, legerem, ORTA, pro, ORSA; & cætera ferrem, quantum maximè ferri possunt. Quando enim, PATRIC.

quæſo, aut vbi viſus eſt Cicero hac oratione, gratias agere Cæſari? aperte præſertim. Niſi forte illud, aut illiuſmodi aliquid intelligas, quale eſt n°. 5. Quibus te laudibus efferemus, quibus ſtudiis proſequemur, qua beneuolentia complectemur? Parietes medius fidius, huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt &c. Aut illud n°. 11. Quare gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere &c.

GRATIAS AGIMVS) Pro M. Marcelli reſtitutione,

NAM OMNES IDEM SENTIVNT) Mallem, SENTIMVS. Modò *enim dixit*, AGIMVS ET HABEMVS. Sed vt vere & plane dicam quod ſentio, totum hoc, NAM OMNES IDEM SENTIVNT, vacare, & gloſſema redolere exiſtimo. Nam & ſententia ſine eo, grauior & Cicerone dignior eſt, & eiuſmodi ſermonis genus, quale eſt hoc. Potuiſti, inquit, ſentire, omnes idem ſentire, ad Ciceronis elocutionem non proxime accedit. Legerem igitur. MAXIMAS TIBI OMNES GRATIAS AGIMVS, MAIORES ETIAM HABEMVS, QVOD EX OMNIVM PRECIBVS, ET LACHRYMIS SENTIRE POTVISTI. QVOD, agere nos ſcilicet, & habere tibi gratias.

SED QVIA NON EST ASTANTIBVS OMNIBVS.) Malo duabus vocibus, A STANTIBVS.) Vnde ſequitur eodē modo. A ME CERTE. Eius autem, A STANTIBVS, duplex ſententia eſſe videtur. Altera. Non eſt, inquit, neceſſe ô Cæſar, vt id quod ego dico, omnes iſti dicant, quos ſtare, & cauſæ M. Marcelli adeſſe vides. Altera. Non eſt neceſſe, vt iſti qui ſedent (ſignificat autem ſedentes reliquos ſenatores) ſurgant, & ſtantes idem dicant quod ego. Satis enim dicunt, cum lachrymis effuſis gratiam tibi habent. Iam autē pro illo, QVIA NON EST, legerem, QVOD NON EST. Nam in veter. Steph. QVOMODO NON EST.

ET QVOD VOLVNT, ET QVOD M. MARCELLO) Duas cauſas officii ſui proponit. vnam, vt obſequatur iſtis, qui hanc dicendi prouinciam ei impoſuerunt. Alteram. Vt conſtantiam ſuam in amando M. Marcello tueatur & conſeruet. Lege igitur, QVOD VOLVNT, ET QVOD M. MARCELLO. Vtrobique accentu ſupra QVOD, impoſito. Vt ex pronomine fiat coniunctio. Vel addito deniq; II. & quòd volunt ii.

A TE HVIC ORDINI RESTITVTO) à te, id eſt, per te.

perte. HVIC ORDINI, autem quid valeat, vide suprà nº 8. In hoc ordine multa de pace dixi.

PRAECIPVE ID A ME FIERI DEBERE INTELLIGO) Mallem, PRAECIPVE ID A ME DEBERI INTELLIGO.

DE OMNIVM SALVTE SENTIO) Malo, SENTIS. vt suprà. Ex lachrymis sentire potuisti.

QVOD AVTEM SVMMAE BENEVOLENTIAE EST) Ferè legerem, vel, SVMMVM BENEVOLENTIÆ, vel potius, SIGNVM BENEVOLENTIAE EST. Atque adeò, SIGNVM EÆ BENEVOLENTIAE EST, QVAE MEA ERGA ILLVM &c. Nam antiqui ea, eæ, & altera alteræ, vt, mea meæ, inflectebant. Præterea autem illud. QVOD AVTEM SVMMAE, scriberem minore littera, duobus præpositis punctis sic, salute sentis: quod autem summæ.

SEMPER NOTA FVIT, VT VIX) scriberem, semper nota fuITa, vt vix. Legerem autē. Semper nota fuit, ita vt vix.

CVM ID PRAESTITERIM) ID, vt voce mea, Marcelli necessitati ne deessem: cum præstiterim, cura, labore, solicitudine mea.

CERTE HOC TEMPORE MAGNIS CVRIS) Mallem, CERTE HOC TEMPORE MAGIS, CVris &c.

PRAESTARE DEBEO) vt ei voce mea ne desim.

VT OMNIBVS ME REBVS) Fortè. VT SI OMNIBVS IN REBVS. Vel, QVASI OMNIBVS MI REBVS. Mi, autem, datiuus est antiquus. Sensus. Tam tibi gratias ago quàm si mihi magnus cumulus accesserit &c. Alioqui si hoc loco vulgata scriptura relinquēda est, tum in fine sanè, necessariò, vt mihi quidem videtur, legendum erit, non, ACCESSERIT, sed, ACCESSISSE VIDEATVR. Sic. MAXIMVS HOC TVO FACTO CVMVLVS ACCESSISSE VIDEATVR. Vel, MAXIMVM HOC TVO FACTO CVMVLVM ACCESSISSE PROFITEAR. Sic enim exponendum erit. Sic tibi gratias ago, vt, cum ego à te, omnibus rebus non solùm conseruatus, sed etiam ornatus sim, tamen hoc facto tuo (quod fieri iam posse non arbitrabar) maximus cumulus ad innumerabilia tua in me vnum merita, accessisse videatur. Vel. MAXIMVM CVMVLVM ACCES-

SISSE PROFITEAR. Ego autem cum aliquanto post, ea mecum aliquandiu recognoscerem, quæ sunt in extremo huius orationis, equidem sic omnia legenda esse existimaui.

Sed quia iam omnis finita dissensio est, & extincta æquitate victoris, restat, vt omnes vnum velint, qui modò habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis: quia nisi te, C. Cæsar, saluo, & in ista sententia, qua, cùm antea, tum hodie vel maximè vsus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur & obsecramus, vt vitæ & saluti tuæ consulas, omnesq; tibi, vt pro aliis etiam loquar, quod de me ipso sentio, quoad subesse aliquid putas, quod cauendum sit, non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus pollicemur. Sed vt vnde est orta, in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi omnes, C. Cæsar, M. Marcello à te huic ordini populoq; Rom. & R. P. reddito, gratias agimus, maiores etiam habemus, quod ex omnium precibus & lachrymis sentire potuisti. Sed quod non est à stantibus omnibus necesse, id à me certè dici necesse est quodam modo: & quòd ii volunt, & quòd ego præcipuè id à me deberi intelligo. Nam lætari quidem omnes, non vt de vnius solùm, sed vt de communi omnium salute, sentis: quod autem signum eæ beneuolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ita vt vix C. Marcello, optimo & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini: cùm id solicitudine, cura, labore, tamdiu præstiterim, quàmdiu est de illius salute dubitatum, certè hoc tempore magis, curis, molestiis, doloribus liberatus, præstare debeo. Itaq; C. Cæsar, sic tibi gratias ago, quasi omnibus in rebus à te non conseruato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus, hoc tuo facto, cumulus accesserit.

FINIS.

Typographus Lectori S.



VM hæ notæ Andr. Patricii V. C. in eo iam essent, vt typis meis diuulgarẽtur, incidi fortè fortuna in Fuluii Vrsini, docti hominis & diligentis, notas alias in Ciceronem ipsum, editas à Plantino anno superiore. Quarum quidem, cùm vixdũ ipse gustum cepissem, tibi tamẽ, Lector, præbere easdem ipsas hoc loco volui; & quidem in iis tantùm volui, quæ ad duas has modò orationes Ciceronis emendandas attinerent. Idq́ adeò feci, primùm vt intelligeres, quàm in lubrico eorum omnium labor versaretur, qui se huic operæ tradidissent. Deinde etiam, vt cognosceres ἐξοχὴν *illam Patricii nostri meram, nullis planè externis librorũ MSS. adminiculis adiutam, nec ab ipsis tamen nimium aberrauisse, & ad aliorũ item doctorum hominum opiniones proximè accessisse: de multorum etiam locorum integritate ita addubitauisse, de quibus alii quoque addubitaue-*

bitauerunt, vt ad eorum tamen vulnera, ea remedia de ſuo in medium attulerit, quæ, ſi non planè ſanitatem poßent inducere, at plagam certè quidẽ putreſcere minime paterentur. Quod ego ſanè ipſum ſtudioſis omnibus bonarum litterarum optimè euenire cupio.

FVL-

FVLVII VRSINI

IN ORATIONEM CICERONIS Pro C. Rabirio Postumo.

Notæ.

C. Curius] *Ita legendum, non vt in quibusdam libris* Curtius. *necesse autem est, quem defendit Cicero, adoptione factum esse Rabirium, vt sit* C. Rabirius Curianus Postumus.

Quod malè cecidit, bene consultum putares] *Ant. Augustinus legit*, quod malè cecidit; id si benè; bene consultum putares: *quod placet. fieri autem potuit, vt primùm ab oscitante librario omissum fuerit alterum* bene, *deinde alius delerit* id si, *quod videretur abundare. sententiam verò mutuatus est Cicero à Demosthene penè ad verbum ex prima oratione Olynthiaca.*

Sunt lites æstimatæ à Gabinio nec prædes dari nec ex eius bonis] *Ita hunc locum legit Octauius Pantagathus, cùm pro* dari *sit in aliis* dati.

Qua appellatione litium] æstimatione *Pantagathus pro*, appellatione.

Aut legem lege senatoria non timere] *Ant. Augustinus*, aut legem senatoriam non timere legit: *bene quidem, sed vulgata etiam lectio ferri potest* Liceat mihi Druse per legem Iuliam Senatoriam, qua equites non tenentur: non timere legem tuam, quam nunc fers, *id*

est, si vis me cogere ad onus iudicandi, ne cogas me ad periculum criminationis, quo liberantur Equites lege Iulia in Senatores solùm lata.

Vt & Romæ togato esse liceret] *Vetus liber*, vt ei Romæ &c.

Non amicissimus mihi non Pompeius fuit] *Ant. Augustinus delet illud*, non, *quod est secundo loco positum. Sic autem legendum esse facilè intelligent qui attentè hunc locum considerabunt.*

Postea creditum? non. quamobrem?] *Pantagathus delet*, non, *& rectè, vt videtur.*

Quid vultis? sileant, dicere audiebamus] *Ita est in vulgatis, & malè omninò. Pantagathus.* Quid vultis? sileant, dicant, audiebamus &c. *paullò post*, omnia denique ab his nummorũ argumenta nata sunt: *pro* nummorum *verbo manifestè corrupto*, mimorum *edidit Lambinus. Quam lectionem sequor eò libentius, quòd in veteribus quoque editionibus inuenitur. Amicus quidam meus coniectura ductus fortasse non mala*, venenorum, *pro*, nummorum, *legendum esse existimat, quòd* αἰγύπτια φάρμακα, *&* αἰγυπτιάζειν *Græcum prouerbium celebre sit.*

Vt intelligi facilè possit, quod ex ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus est, ad quenquã peruenisse in illo primo iudicio planum factum sit, in hoc genere iudicii redigi solere] *Ita hunc locum legit Pantagathus. Alii tamen aliter emendarunt.*

Possum excitare multos reductos testes] relictos *fortasse melius legeretur, pro*, reductos, *si antiqui alicuius libri confirmaret auctoritas.*

IN O-

In orationem.
Pro M. Marcello.

Dolebam enim P. C. ac vehementer angebar virum talem] *Ita Faërnus, qui verba illa cum,* viderem, *vt superuacanea tollebat. Paullò etiam pòst totum hoc delebat*, Nec mihi persuadere poteram. *& infrà legebat.* Cùm M. Marcellum Senatui Reiq; publicæ concesśisti commemoratis præsertim offensionibus &c.

Lætitia peruenit quod quidem ei meritò] *Ita legit Faërnus. Et paullò pòst,* Quis enim illo aut nobilitate &c.

Tamen hoc affirmo] *Faërnus delet* hoc : *& infrà legit,* quæ quidem ego nisi tam magna, *pro* ita magna. *Paullò etiam pòst,* multis, *pro* militibus.

In istius societatem gloriæ se non offert, tibi concedit] *Faërnus ita legit, cùm alii habeant,* cedit. *Paullò pòst,* ea tamen vicisti *legit, pro* sed tamen ea vicisti. *Infrà quoque* facit, *pro* faciat. Et neque solum nostris, *pro,* non solum &c.

Etiam dum audiuntur aut dum leguntur] *Faërnus,* etiam cùm leguntur, *melius quàm est in vulgatis.*

Cuius mentem, sensusq; eos cernimus] *Optime Faërnus pro,* & os cernimus, *vt est in vulgatis : paullò pòst legit,* Quòd breui tempore illa futura sit auctoritas.

Commemorabili pietate, ac virtute] *Faërnus delet*, ac virtute.

Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit] *Faërnus* memoriam effudit. *Vulgata lectio defendi potest, suffragante illo etiam Silii versu ex libro V.*

Sed est vestrum cui nulla doloris.

Priuati rabies, is verò ingentia sumat:
E medio fodiant quæ magnas pectus in iras.

Est propria C. Cæsaris] *Ita legit Faërnus. Et infrà*, huius autem tu idem & dux es, & comes. *Paullo pòst, totum hunc locum ex antiquorum codicum fide ita restituit,* Quæ quidem tanta est, vt trophæis, & monimentis tuis finem allatura sit ætas (nihil enim est opere & manu factum, quod non aliquando conficiat, & consumat vetustas.)

Non perinde intelligi posset auditu] *Ita* Faërnus, *qui infrà delet, vocem* ipsa, *cùm in aliis sit*, cum ea ipsa.

Fato sumus nescio quo] *Ita Faërnus, & bene quidem: sed melius Ant. Augustini liber habet,* fuimus.

Audiendumque putaui] *Faërnus delet,* esse, *&*, flagitantium, *legit pro*, efflagitantium. *Paullo pòst*, semperque mea consilia pacis & togæ non belli atque armorum fuerunt, *cùm in aliis superuacaneum sit verbum*, socia.

Et tam luctuosum excitauerunt] *Melius in Faërni libro,* excitauerint.

Quos in Rep. tecum simul saluos esse voluisti] *Faërnus delet,* simul. *Et paullo pòst pro,* & specie Reip. *legit,* facie Reip. *sine coniunctionis nota. Infrà etiam*, tua enim cautio nostra est: & si peccandum &c. *legit, deleta voce,* cautio, *quæ secundo loco posita est.*

Vt quo duce summa omnia] *Ita Faërnus. Paullo pòst*, An si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est, ne quid inimici.

Ex vnius tui] tua *Faërnus. Et infrà*, motus, *pro* euentus, *&*, credimus, *pro* credamus. *Paullo etiam pòst ita legit:* omniaque quæ dilapsa iam defluxerunt.

Satis diu vel naturæ vixi vel gloriæ] *Ita hunc locum legit Faërnus: & infrà*, vixisse te satis.

Aut

Aut si tibi etiam soli] *Faërnus delet,* soli. *Et paullò pòst,* Res tuæ gestæ, *tollit verbum* gestæ.

Quicquid est enim quamuis amplum id certè est parum tum, cùm est aliquid amplius. Quod si immortalium rerum tuarum &c.] *Ita legit hunc locum Faërnus, & rectè vt videtur. Paullo suprà.* Parum ne igitur inquies magnam gloriam relinquemus.

Vel in suos ciues] *Faërnus delet vocem*, ciues : *& infrà legit*, Eaque tu inprimis cum summa tranquillitate. *Paullo etiam pòst:* Quanquam tuus iste animus nunquam his angustiis quas natura nobis ad viuendum dedit contentus, semper immortalitatis amore flagrauit.

Quam ipsa æternitas semper intuebitur] *Faërnus* tuebitur. *Paullo pòst,* Pugnas innumerabiles, incredibilesque victorias.

Vt illud fati videatur, hoc fuisse consilii] *Ita Faërnus.* Et armatum, *paullo pòst, pro,* armatorum, *omninò melius : &*, Vt iam ille sit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in causa animam profudit.

Astantibus omnibus] *Faërnus* omnibus stantibus. *Paullò pòst,* præter eum quidem, *pro* præterea quidem, *legit. Et infrà in fine Orationis, delet,* in me vnum.

FINIS.

Bibl. Jag.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0035293

